IMAGO AMORIS,

Penicillo Doloris effigiata,

Seu

ORATIO

De Paſſione Domini Noſtri JESU Chriſti

à


WENCESLAO
ANDREA MACARIO
DE MERFELITZ,
SS^æ Theologiæ Doctore,
Sanctæ Metrop: Prag: Divi VITI Mart: Prælato Scholaſtico, Cancellario, Eccleſiaſte, Archi-Epiſcopalis Conſiſtorij Aſſeſſore Seniore.

In Eadem S. Eccleſia ê ſuggeſto Habita.

Anno Domini 1681. *die* 3. *Aprilis.*

PRAGÆ, Typis Univ: Carolo-Ferdinand. in Collegio Soc. JESU ad S. Clem: 1685.

 61



Cùm dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos.

Joan: 13.



SI, juxta communem parœmiam, *putare* eſt *errare*, vehementer errat, quisquis putat *Dolorem* potiùs *carnificem* quàm *artificem*, *cruoris*, quàm *coloris* tractandi peritiorem, *lictorem* veriùs quàm *pictorem* eſſe nuncupandum. Eſt, eſt enimverò ingenioſiſſimus *Dolor*, *Artifex* non *carnifex*, *pictor* non *lictor*, neque impenſius in tormentis infligendis, quàm rerum lineamentis efformandis occupatur. Specimen hujus rei, elegantiæ prorſus exquiſitiſſimæ, eſt *tabula*, quæ ut primùm ad ſolis, lunæque extinctas faces ſpectari cœpta eſt, ſubitò univerſam ad ſtuporem rapuit univerſitatem, atque ut

est humanissimus *Dolor*, dum veluti Præconis publici Romani Præsidis voce inclamatum est.

Ecce Homo.

HOmines omnino omnes, ad tanti operis excitavit contemplationem. Sed quod grande illud picturæ hujus, & mirè mirandum miraculum est? Forsitan ductûs subtilissimi, *linea* ab Apelle Pictorum Principe in Protogenis tabula expressa, cui, cùm idem Protogenes non inferioris ingenij Artifex superinduxisset aliam, & ipse, multiplicato miraculo aliam, tantò magis curiosorum advertit aciem oculorum, quantò magis subterfugiebat.

An potius Zeuxidis dicam Uvas, adeò vivacibus expressas coloribus, ut ad direptionem ab avibus peterentur. An verò cortinam in tabula Parrhasij penicillo, ea felicitate expressam, ut ejusdem artis peritissimus ipse Zeuxis, manum extenderit, exploraturus quid illâ tegeretur?

Sed

Sed ingeniosior est *Dolor Artifex* quàm ut inter humanæ solertiæ inventa consistat, naturæ excedit terminos, quia in naturæ Authore *DEO* laborat.

Eapropter illius opus, non est conatus humani laboris, sed *Imago Divini Amoris* quam, dum coloribus adumbrat, omnium excellentissimorum *Artificum* opera comprehendit. Est enim verò *Divinus* ille *Amor* omnium absolutissima rerum *linea* subtilitatis *habitans lucem inaccessibilem DEUS.*

Est *Idem* si non *Uva Zeuxidis* saltèm *botrus Cypri* cujus specie non jam deceptæ volucres, sed capti animorum affectus ad svavissimam gustandi voluptatem proliciuntur, imo & *in quem* ipsi *Angeli desiderant prospicere.*

Est denique *velum illud* non jam *Parrhasij* penicillo, sed ipsius *Numinis* digito adhibito coloris loco in MARIÆ *Virginis* cratere tornatili, sangvine purissimo adeò artificiosè expressum, ut jure merito, multò artificiosius aliquid

abſconditum ſuſpiceris, quàm oculis corporeis intuearis;

Latent res eximiæ.

HAnc Effigiem *Amoris Divini* hodie vivis coloribus ex Artis pictoriæ præſcripto in tabula proponet *Dolor ad vivum*, etenim *vivum* tangi neceſſum eſt, ubi *Dolor eſt*.

A *Jove Principium*; prima quæ baſis omnis operis eſt *Dolori* cura eſt, quanam in Mappa artem ſuam experiri debeat. Ex *millibus* eligit byſſinam è caſtiſſimæ MARIÆ viſceribus dumtaxat candidiſſimis licijs contextam byſſum, *abyſſus abyſſum invocat* quam *facunda Virginitas* elaboravit, *candor lucis æternæ* afflavit, *amantis DEI*, ac ſimul *morientis pallor* dealbavit.

In linea tela, laborat *Artifex Dolor* nonneſcius in lineo candore, colorum lineamenta aptiſſimè recipi. Linum, injuriâ, fit melius; & innocentia, in qua Dolor effigiem *Amoris Divini* effigiare cogitat, effulſit candidior, dum, *congregata*

gata fuerunt flagella & ſupra dorſum ejus fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam : horum iniquiſſima punctura fuit *Amori* elegantiſſima pictura : *quò namque Tortor acriùs pungit eo decentius pingit* inquit Petrus Cellenſis.

Sinè vitio vix pingi poteſt, niſi in Mappa bene extensâ, ad hanc extendendam, & in ligno crucis affigendam, præſtò ſunt ingentes ê ferro clavi trabales; hinc concludo Mappam hanc ab omni ruga abſolutum atque conſummatum iri.

Rubor verecundus Amorem formoſiſſimum reddit, verecundia namque *tinctura virtutis eſt.* in quo autem minimum erubeſcentiæ eſt, turpiſſimus eſt, *protinus* enim *extincto ſubeunt mala cuncta pudore.* *Color*, quo *Dolor* effigiem *Amoris* effigiare molitur, purpureus eſto, florum ſuccus, quia in horto colligitur, & â cortice Nazareni fruticis exſudatur, copioſus hic liquor eſt, veriùs Purpuræ piſcis, ſanguis cujus omnis hu-

mor *factus est sicut gutta sangvinis decurrentis in terram.*

Verùm ut *quid perditio hæc* ò prodige *Dolor*? colorem dissipas, antequam opus inchoes? si vasa requiris & tibi conchæ humanorum cordium displicent, calicem tibi aureum cœlestis porrigit Ephebus, tot tormentorum capacem, quot, incarnatus patitur DEUS. Sed in hunc primarios liquores *tristitiam* & *pavorem, tædium* & *agoniam Dolor* composuit, & ne colori constantia deesset, cavit, *Angelus confortans eum* conferendo ad colorum temperantiam gummi Divinarum consolationũ, & cœlestium gratiarum, quando autem, *quantum jactus est lapidis* â suis avulsit Dominum, ad *lapidem* respexit Artifex peritissimus, quo colores conteri necessum est hinc *attritus est propter scelera nostra* hæsitque inter *sacrum* & *saxũ*, versabatur, *inter malleum & incudem*, quando orabat, *Pater, si possibile est, transeat â me calix* iste, verùm-tamen, non mea, sed tua voluntas fiat. & alibi; *baptismo habeo baptizari, &*

quo-

quomodo coarctor. Agedum Plagiarie Juda, qui in perfidiæ lineamentis ducendis triginta argenteos accepiſti, te in pictoria officina *doloris* ſtipendium feciſſe inficiare: en

Quid non mortalia pectora cogit
Auri ſacra fames?

Exuiſti ſub amicis oſculis in vultu tuo ruborem pudoris, ſed hunc in Magiſtri tui excitâſti. Agite genimina viperarum, qui tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus; *inconſutilis tunica contexta per totum*, ex damnati bonis, merces erit veſtri laboris.

Illi verò, qui *lanceâ* extremam operi lineam addiderit, Longævam memoriam in Longini nomine exarandam, ac ipſum nſuper cœlum in præmium pollicetur *Dolor*. Jam focus in atrio domûs Pon-ificis inſtruitur, fortaſſis ut in promptu nt ſcriptorij carbones ad delineandum pus peropportuni, carbone namque otiùs quàm cretâ prima formarum li-eamenta format *Dolor*, ne amœnior ſit *lor* quam *Pictor*. Intempeſta nocte,

ante gallicinium operi datur exordium, ut appareat, prolixi laboris futurum opus, *& priusquam gallus cantet ter*, Petrum linguâ pro penicillo, non tam usum quàm abusum. *Qui sponsam habet sponsus est*; Artifex noster *Dolor electus ex millibus. Sponsus est, una est columba mea perfecta mea.* ab hac invitatur *sponsus sanguinũ* ad hortũ; *descendat* inquit illa, *dilectus meus in hortum suum* utique *nucum*, annuit ille votis, & in horto ponit picturæ suæ initium, idque, vel quia *hortus* non minus colorum quàm florum pictura est, vel quia ipsi, qui pingitur ipso in nomine plurimùm floris inest, vel quia supplicia voluptatum & oblectamenta pœnarum in Amoris vultu depingenda erant; vel quia innocentia, quam efflorescentem in horto pruina primævæ labis decoxerat, non nisi in horto, poterat reflorescere.

Attestante D. Cyrillo, *venit in hortum, ut ubi hominis ruina cœperat, ibi ejusdem reparatio exordium sumeret, &* ut cavit Ecclesia, *ut unde mors oriebatur inde*

de vita resurgeret. Hortus ille Gethsemani, secundùm D. Hieronymum interpretatur *vallis pinguissima*; vel ut alijs placet, *vallis pinguedinis & olei mei.* Oleagineis & pinguissimis coloribus *Pictor* noster *Dolor imaginem Amoris* picturus est, qui apud Psalten dixerat *Sacrificium nostrum pingue fiat: &, holocausta medullata offeram tibi.*

Nimirum, ut sic tabula tota ad reliquam picturam præparetur sangvineo sudore tanquam spisso tenacique liquore ponendis fundamentis perquam idoneo perungitur. Ad te rursus non *Pictorum* sed *lictorum antesignane* mea convertitur Oratio: quid amabò tibi vis illo, quod impurissimi oris anhelitu universam tabulæ superficiem pervadas & osculo proditorio tergas? pulveream credo nubem vult eo afflatu dissipare quà aspergi potuit Dominus cùm *procidit in faciem suam orans*, ô præclarum maculatorem! tu certè non labem; hâc nim caret, *qui peccatum non* sed *omnia*

bene fecit ; detersisti, verùm turpissimi oris fæces aspersisti.

Illud tamen non incommodè, accidit, quòd numerosa facum, atque lucernarum subsidiaria luce non incomitatus ad tantum facinus àccesseris, quò continuò errorē dispicere valeres, quem si confestim in spongiā emolliti pœnitudine animi jussisses incumbere, sapientiùs mendum sustulisses, quàm quandomentum laqueo suspendisti. Felicius tu profectò Petre maculas, quas linguæ tuæ, hoc est, tergemino penicilli lapsu in tabulam illevisti, emaculâsti; neq; enim pertinaciam similium macularum, aliud quidquam domat certius, quàm mordax illud atque severum, quod fractò oculorum crystallo, affudisti acetum lacrymarum. *Piscator ictus sapit.*

Jam in Palatio Pontificio pingitur *Amoris Vultus* qui *caput* & *princeps* labor est, enimvero totus amor in vultu est, & totus vultus amor est, ac in vultu principium amoris est, *resplenduit facies ejus sicut Sol.*

In

In domo Annæ excuſſiſſimâ palmâ palmaris ſcurra alapam infringit *Amori*, ut intelligamus *Amorem* nullum eſſe, niſi Manu promptus ſit & operoſus. Porrò quinario hoc digitali lineamentorum ductû adeò ad vivum *Amoris faciem* delineavit *Dolor*, ut planè viſa ſit ſpirare & dicere *quid me cædis* ? politam ſanè eſſe oportet faciem, in quam quâ pugnis, quâ palmis tam multi deſæviunt, hoc eſt, crebrò mannum attritu perpoliunt, imò, & terſam atque levem frontem eſſe, quàm tam dexterè tot lævæ manus per ſummam levitatem & petulantiam extergunt.

Quòd ſi *cæcus* ſit *amor*, argutè prorſus non nemo velo oculos ejus obligaverat, ut intelligamus, quòd tametſi *Argus* vigilantiſſimè noſtræ invigilet ſaluti, ad propria tamen commoda, dormitat *Homerus*, nimirum *Amoris* ea prima lex eſt obliviſci ſui. Nemo tamen *Amorem Divinum* luminibus caſſum exiſtimet, niſi noctem habeat in oculis, nihil perſpicacius hoc amore, cui Patria cœ-

lum eſt, tot plenum oculis, quot ſerenum ſtellis. Omnia videt cui cuncta nuda & aperta ſunt.

Hic jam gravis inter primarios ſatellites *Doloris* movetur controverſia, qualinam in veſte pingendus ſit *Amor*? qui inter ignominiæ dedecoriſque opifices, titulum *Regium* occupaverat, veſtem illi albam adjudicavit. Alter vix pili ex ſui nominis teſtimonio faciendus, purpureâ veſte conſpicuum exhiberi oportere *Amorem* cenſet. O præclarum certamen, ô concors diſcordia, quæ utriusq; coloris elegantiam in *Amore* permiſcet, qui jam dudum *candidus & rubicundus* dictus eſt. Purpura, ſeu color *Regius* eum decet, quia *Rex* eſt *Animorum*. Nudum atque inveſtem, *Amorem* pingi oportere ſentiunt alij, neque malè: non enim verus Amor eſt, niſi ſimulationis operimentum exutus ſit, pectoriſque aperti. Et quidem ſatellites expertiſſimæ crudelitatis, ut ſine veſte ita non absque ſingulari artificio, omnes exprimunt articulos *Amoris* omnia namque linea-

lineamenta minutulis solùm punctis sparsis per tabulam repræsentant. Nemo abhinc Philosophorum neget puncta dari in infinito, en *Amor* noster *infinitus*, ex punctis constat, tum quia nihil illo vehementius pungit mortalium animos, tum quia apud plerosque minoris puncto verus amor æstimatur; tum quia eo, ceu puncto nihil subtilius & denique cordis centrum est Amor.

Sic expressa jam corporis conformatione ut *omne ferret punctum* desiderabatur, ut cùm cœlestis hæc sit *Effigies Amoris* Caput indicibus Divinitatis flammis perfunderetur, & tempora radiosâ luce circumfusa resplendescerent. At ecce pingitur imò pungitur acutissimis latissimè diffusis spinarum aculeis Amoris Caput, tot radijs conspicuum, quot puncturis saucium! sed eheu Dolor. qui inter Cœlites coronatur stellis, inter homines radiat spinis & sputis, his acuminibus radiare dedebat *æterna sapientia*, *caput ejus aurum optimum* & *radij aurei*, quos Divini inaurat tinctura sangvinis, *lumi-*

luminis debebam dicere, ſol enim eſt, qui vulneratur & ſolis ſangvis lux eſt.

Sagitta & *Arcus* notiſſima ſunt *Amoris* arma, vix alijs indiget Radiatus *Amor*, cui pro radijs ſpicula ſpinarum & ſceptrum arundineum â levitate tribuuntur, at hæc levitas graviſſimam plagam honori illius imponit, quando affectati regni, *Reum*, hoc ipſo *calamo arundineo* per injuriam ſcribit, quaſi verò non jure ſuo regnet ubique atque imperet *Amor*. ſed nec diſplicet *inanis arundo* ſolóque vento plena, quia *Amor* habet pro medulla anhelitum & ſuſpiria. Mitto in arundine levitatem, & potius in cruce admiror gravitatem. *en prodit JESUS portans crucem ſuam* id eſt, Amor *arcum ſuum*. hunc enim *Dolor Artifex* humeris ejus nõ jam appinxit, ſed impoſuit *Principatus ſuper humerum ejus*. neq; enim in alio *arcu* vincit & regnat verus *Amor*, quàm in crucis Arcu, *arcum* hunc, cùm in manus ſumpſerit & illud uſurpare licebit, *cornua in manibus ejus. ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.*

In manibus verò Veronicæ fæminæ lectissimæ, hucusque, ex præscripto artis pictoriæ Amoris Imaginem suis coloribus effigiatam, labore extemporario ab ipso Artifice expressam contemplemur.

At enim, illud non excidit, *Amoris manus* non tantùm elegantissimè â *Dolore* fuisse effigiatas, verùm etiam insertarum gemmarũ fulgore splendidissimè illuminatas. Lubet hic percunctari. *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? manus ejus tornatiles plenæ hyacinthis, pyropis*, atque *unionibus*, ut Divi Vincentij verbis loquar, *ad instar stellarum resplendentibus.*

In carne Christi vulnera
Micare tanquam sidera
Videntur.

Pedes ejus trabali ferro transverberantur, ut *Amori* talaria addantur, totus etenim *Volucer* est, qui tantò citatioribus gressibus ad te ô homo properat, quantò firmioribus vinculis tenetur in cruce. Appositum tabulæ titulum dum legimus Picturam hanc, *Regium* planè esse

opus

opus intelligamus atqve in illo characterum quaternione affirmemus illud *In Nobis Regnabit Iste* dumtaxat *artifex Dolor*, qui *amoris imaginem* ita artificiosis lineamentorum ductibus expressit, ut ipsum opus loqui putes & dicere *consummatum est.*

Ne tamen picturis, animam & vitam tribueremus, *inclinato capite clamans voce magna emisit spiritum*

DIXI.



69

PaſsIo ChrIſtI DoMnI
VerèannVsIV-
bILæVs eſt.
VerItateM præſentI
oratIone è sVggeſtV ſeCVnDâ
AprILIs habItâ
In ſanCta Metropo-
LItana DIVI VItI patronI Pra-
gensIs trIVrbIs & orbIs
Probat hoc
Oratione die Jovis Sancto poſt
conſvetam annuam lotionẽ pedum
Coram
Reverendiſſimo & Celſiſſimo Prin-
cipe ArchiEpiſcopo Prag: Illuſtrîſſimis & Excellen-
tiſſimis Regni Proceribus, Reverendiſſimis Prælatis
& Canonicis infulatis, alioque Honoratiſſimo Au-
ditorio in SS. Metrop. Prag. Eccleſia Divi VITI
Mart: è ſuggeſtu habita.

*Wenceslaus Andreas Macarius à Merfe-
litz, SS. Theologiæ Doct: præmemoratæ S. Eccleſiæ
Canonicus, & Eccleſiaſtes Ordinarius, Archi-
Epiſcopalis Conſiſtorij Aſſeſſor Senior &c.*

Reverendissimo ac Celsissimo

PRINCIPI,

Domino, Domino

JOANNI

FRIDERICO

è COMITIBUS

DE

WALDSTEIN,

ARCHI-EPISCOPO

PRAGENSI

LEGATO NATO,

SACRI ROMANI IMPERII

PRINCIPI

REGNI BOHEMIÆ PRIMATI,

COLLEGIATÆ ad S. CRUCEM

WRATISLAVIÆ


PRÆLATO & CANTORI,

CA-

 70

CATHEDRALIS
Ecclesiæ Olomucensis
CANONICO
Sacri Militaris Ordinis Cru-
cigerorum cum rubea Stella per
Bohemiam, Moraviam, Silesiam
& Poloniam
SUPREMO
AC
GENERALI MAGISTRO
Universitatis Carolo-Ferdinandeæ
Pragensis Amplissimo Perpetuoq;
CANCELLARIO &c. &c.
PRINCIPI
AC
Domino suo Colendissimo
Hunc Annum Jubileum
D. D. D. C.
Et Annum Jubilæum ARCHI-
EPISCOPATUS vovet.

Celsitudinis suæ observantissimus
VVENCESL: ANDR: MACARIUS.



Numerabis tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ faciunt annos quadraginta novem, & clanges buccinâ - - - - ſanctificabisq; annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ, ipſe eſt Annus Jubilæus. Levit. 25.

PAvete Reges, formidate Principes, timete Regna, perhorreſcite Populi, metuite Gentes, ingemiſcite Urbes, trepida Munde! ad immanem præliantium inter ſe elementorum tragædiam; exſtinctum Solem, fluentem ſangvine Lunam, contortum Aërem turbine, elatum procellis mare, & grandi fundamentorum Orbis colliſione ſua è ſede dimotam terram. Auditisne horribiles illos mugitus, illos fremitus, illos ceu mille fulminum è nubibus excuſſorum continuatos fragores, & in unum confuſos non minore tumultu, quàm ſi mundus corruere, & in fruſta diſſilire occi-

occiperet! Quam latebram proſpicitis, ſi terra movet? quod auxilium, ſi Orbis ipſe ruinam agitat? quid vobis non dico auxilij, ſed ſalutis eſſe poteſt, ubi timor fugam perdidit? cui non animum ſimul, ac vocem terror eripiat, ad ſola vota precéſque durabilem, inter diſſilientium ſaxorum immanes boatus, redivivas monumentorum Umbras, nutantes Urbes, diſruptum templi velum, diſcurrentes in Cœlo ſtellas? ad hæc crebrò intermicantia fulminum incendia, quorum lumen ipſis tenebris horribilius, ſuper nigrorum fluctuum dorſa diſcurſans, perpetuam impendentis exitij ſpeciem oculis repræſentat. Si hoc nondum ruentis Cœli ſimulachrum eſt, certè confligentis ſecum ipſa naturæ eſt duellum. * *Aut ergo DEUS naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur!* magnus exclamat Dionyſius. Ità ſanè patitur (ô portentum) patitur naturæ DEUS, & tuus ô Cœlum Atlas, quem non flexit *molis immenſæ labor*, ſub gra-

* *Ep. ad Polycarp.*

vi

vi peccatorum noſtrorum pondere in-
curvatur. Patitur naturæ Autor, &
veſtrum ô *Angeli pacis* gaudium, *cæpit
tædere*, *& cythara* veſtra. *verſa eſt in lu-
ctum.* Patitur, *rerum cuiſumma pote-
ſtas*, & tuus (proh dolor!) ô munde,
JUSTITIÆ SOL, per ſceleſtum pra-
vitatis Judaicæ Zodiacum, & immania
cruciamentorum monſtra, quatuor Tri-
bunalium quibusdam veluti quadrigis,
obliquo nimiùm flexuosôque furijs de-
cretorijs, per cænum, non per Cœlum,
raptatus itinere, curſum pœnarum con-
ſummat. Et quia *SOL eſt JUSTITIÆ*
in LIBRA, hinc amoris, indè timoris,
Paſſionis librat Calicem, & noſtræ mo-
menra ponderat libertatis. Indè SCOR-
PIO venenato Judæ afflatur oſculo, &
noſtras in ſe accipit infirmitates. In
TAURO vinctus dúcitur ùt victima, &
debitas morti victimas nos exſolvit. In
AQUARIO raptatur per torrentem
Cedron, ut torrente voluptatis aliquan-
do nos inebriet, In PISCIBUS, à fal-
ſis accuſatus teſtibus ſilet; ut ſilentium
im-

imponat vindictæ clamanti in Cœlum. In CANCRO exuitur tunicâ; ut nos stolâ induat immortalitatis. In ARIETE coronarur spinis, ut nos coronet æternùm Rosis. In CAPRICORNO fit hircus pro peccato; ut inter agnos à dextris computemur. In LEONE, Leo de Tribu Juda, velut Agnus ductus ad occisionem, ut nos eruat de ore Leonis rugientis, In VIRGINE defletur à Filiabus Sion. In GEMINIS medius inrer latrones suspenditur. IN ARCITENENTE crucifixus fit scopus volucrum Cœli animarum; ut ardentes compassionis affectus eò dirigant, ubi *Amor* & *Doctor* de victo DEO trophæum posuerunt. *O vos omnes, qui transitis per viam succincti lumbos, & baculos tenentes in manibus Vestris* ad hodiernam Cænam invitati mundi hujus Peregrini, *attendite* & *videte*, quomodo innocens JESUS â crudelissima Circe persecutionem patiatur ùt David, vendatur ùt Joseph, tradatur ùt Amasa, capiatur ùt Samson, accusetur ùt Abner,

illudatur ùt Elisæus, denudetur ùt Jeremias, percutiatur út Michæas, crucifigatur ùt Machabæus, suspendatur in ligno ùt serpens, occidatur ùt Abel, lanceâ transfigatur ùt Absolon, & ùt Jonas sepeliatur. Quid autem tu, ô mœstissime Orator (si Cicero ad unius armati fori, pro Milone ex rostris peroraturus, conspectum balbutivit) inter compatientis Autori suo rerum naturæ horrendos fragores, obscuratum solem, caligantia astra, confusa omnia, quid dices?

Nihil dicam, mœstissimi unà mecum Auditores, sed *Justitiæ solem*, præviâ Solis *Aurorâ misericordiæ* nuper mundo feliciter exortum, hodie in Doloris Zodiaco eclipsatum, ac tandem in mari rubro occidentem, lachrymabundis intuitus oculis ANNUM JUBILÆUM esse ostendam, ut per pœnitentiam, *revertatur homo ad possessionem suam, & unusquisq; redeat ad familiam pristinam, quia Annus Jubilæus est.* Si quid tamen dixisse videbor, non aliud erit, quàm una

una dolorum periodus, per ſingula membra inciſa, non meis verbis, ſed illius ſolummodo abſolvenda paſſibus, qui *exultavit ùt Gigas ad currendam viam ſuam.*

Æterna illa in Divino ingenio ante ſecula concepta, ante tempora in ſinu Patris genita Sapientia, dum immenſam Cœlorum molem gyraret in orbes, rotundaret in aſtra, accenderet in Solem, ſerenaret in lunam, *ut eſſent in ſigna & tempora, & dies, & annos*; benedixit diei ſeptimo, & annum ſeptimum elegit in Sabbathum; *quia annus remiſſionis eſt Domini*: cur non ergo potiùs & ego annum hunc *Sabbathicum* nuncupavi? ô quanto ſatiùs id feciſſem! Sed ager ille benedictionis, in quo *omnis theſaurus Sapientiæ, & ſcientiæ DEI*, ſacrilegâ Judæorum impietate violatus nullam quietis partem capit ** Circumdederunt illum vituli multi, & tauri pingues obſederunt eum*! Graviſſimam Deus Homo uſque ad in auditas ſangvinei ſudoris anguſtias pati-

* *Pſalm.* 21.

patitur alterationem: cur non ergo potiùs *Decretalem*, *Enneaticum*, aut *Climactericum* asserui? feceram! sed perfuncta periculosâ invaletudine salus humana, ad confirmandas vires, certissimis nunc demum erigitur argumentis; * & magnus in terra reviviscit ægrotus, quia magnus de Cœlo venit Medicus. Subsistit trepidus Sol, & fatali quodam torpore rerum natura laborat: cur non ergo Annum *Bissextilem* adjecto uno intercalari die appellavi? O! quam bene! sed ad interrumpendas atroces pœnas, in quas velut in dies præsentis anni cursus distinguitur, nè brevissimæ conceditur morulæ intervallum. Interim tamen infelicissima naturæ humanæ conditio, & continuata tot sæculis malorum series, per alienæ sortis infaustam calamitatem eluctatur ad spem; per luctuosam Dei-Hominis mortem assurgit ad vitam, & exstincto innocentis Agni sangvine antiquo Mortis chirographo, plenariam per modum Jubilæi

Natu-

* *August:*

Natura humana conſequitur indulgentiam. O! Annum verè Jubilæum! ô! felicem culpam, quæ talem meruit habere Redemptorem! En tandem poſtliminiô redit antiquæ gratiæ hæreditas, quam rerum prodigus uno pomi morſu abligurivit Protoplaſtus. Redit prima illa vernantis Innocentiæ ſtola; quam homicida ab initio Patrum noſtrorum violentè tulit. Redeunt inſontes joci, & liberior in Cœlum aſpectus, quos durum in lachrymarum valle exſilium jugulavit. Revertitur denique Sunamitis ad poſſeſſionem ſuam, exſul ad familiam priſtinam, Filius prodigus ad domum Patris ſui, *quia Annus Jubilæus eſt*. Et ut gaudium ſit plenum, jam magna, regali lautitià, inſtruitur Cæna, præmittuntur famulitia, apparantur cænacula, invitantur familiares, & Pontifex aræ potiùs, quàm menſæ Diſcipulos admovet convivas, in qua ſe ipſum incruentè erat immolaturus. Nempe amniſtia odiorum, & reconciliatio animorum fit paſſim epulas inter & bella-

ria, & quos diuturna malè ſociavit abſentia, geniales plerumque joci componunt. Hic verò, quam non veniam ſperabit homo, ubi amore ebrius eſt* AMOR DEUS? certè loquitur humanæ rationi pugnantia, dum *panem* accipit, & *carnem* dicit; propinat *vinum*, & vocat *ſangvinem*. Quin & frontem illius ſereniſſimâ explicat hilaritas, labia diſtillantia myrrham primam, mella, & roſæ ambiunt, dum *hymno dicto*, alij legunt *decantato*, muſicum agit. O! cœleſtis Orpheu, amoris illices tange chordas, & dura mortalium corda, quæ jam dudum in miſerijs ſuis occalluerunt, in tui accende charitatem! At ecce dum in profundam noctem per feſtiva animorum ſolatia producimus cænam; interea JUSTITIÆ SOL, in ORTUM ſuum; (ah unam addite aſpirationem! in HORTUM olivarum dicere debui, properat, noſtræ ſalutis facturus exordium. Properat in hortum olivarum Princeps Pacis, ut inter cognata Pacis ſymbola, percutiat

* *Joan*: 6.

cutiat nobiſcum fœdus uſque in æternũ. Properat in hortum deliciarum *dilectus noſter candidus & rubicundus*, ut oſtendat pro dilectis pati, ſuas eſſe delicias. Properat in hortum arbor vitæ, *ut unde mors oriebatur, indè vita reſurgeret.* Hìc ego jam vos obſecro AA. revocae abeuntem ſpiritum, & collectis ſtrenuè viribus ad inſolens ſpectaculum vivacem animum comparare, nam nisì ſitis fortiſſimi, tragædiæ, quam audietis atrocitas, repente vos per præcipites affectuum motus ventilabit. † En ille *qui appendit tribus digitis molem terræ*; ille ſub * *quo curvantur, qui portant Orbem, ille fortis, ille potens*; prociduus in faciem (in faciem illam, in quam deſiderant Angeli proſpicere!) lethale patitur deliquium, & ſub onere calamitatum noſtrarum ingemiſcit. Et hinc quidem imminentium prævio tormentorum obtutu deprimitur in puſillanimitatem, indè penſatis noſtrorum commodorum momentis erigitur in fortitudinem, & velu-

† *Iſaiæ* 40. * *Job.* 9.

ti in bilance fluctuantium utrinque affectuum, pretia examinat, secum ipse luctatur animus, velle & nolle acriter decernunt, ut manifestum sit Solemesse in * LIBRA, & mensem agi septimum, initium veteris Hebræroum Jubilæi. *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tù*: en bilancem JUSTITIÆ SOLIS; quantum ab una parte descendit per *timorem*, tantum ex altera ascendit per *amorem*. altera vox est *timoris*, *amoris* altera; horret *timor* Passionis calicem, *amor* expetit, & in eo severam Patris manum exosculatur. Sed præludia hæc tantumodo sunt, & umbratica quædam dolorum scena. Altiùs exulcerata Judæorum porrigitur rabies, nec per partes, sed grandia tormentorum, sinè lege, sinè ordine, ascendit intervalla, ut Sol noster, violento præter naturæ ordinem raptu, ad alia quoque signa progrediatur. Verùm quis ille per dolosas intempestæ noctis tenebras nefariorum prædonum globus?

* LIBRA.

Heu

 76

Heu fuge nate Deo, téque his citus eripe flammis.

Video undantem fumum, & suborientia repentè lucentium sublimè facum sidera, non ob lætam Jubilæi accensa festivitatem; sed in tuam perniciem impiorum animos inflammatura. *Surgite eamus*, obvius exclamat Salvator, jámque omni depulso metu, solus salutis humanæ triumphat Amor. Non cedit arduis virtus, sed ex ipsis periculis materiam sumit incrementi. *Surgite eamus*: ultimis, & lacessentibus malis robustior factus, atrocissimis ultro occurrere gaudet hostibus, & finito vivendi consilio, ad mortis respicit libertatem. Fallor: an sacrilegus transfuga agmen ducit? quis ille venientis aspectus? quid pacis osculum? Siccine, ô nefarie proditor, *osculo Filium hominis tradis*? Siccine, ô sacrilegium! osculum pacis, amoris sacramentum, in turpissimæ proditionis assumis stratagema? Siccine, ô virulente Scorpio! affectum, quem natura habet dulcissimum, pestiferâ illum tabe, in de-

testandum odij exponis instrumentum? Pereant oscula, pereant risus, si *speciosus præ filijs hominum*, illis captus in durissimam mortis rapitur servitutem. Pereant fucati amici, dealbata sepulcra, si Candor lucis æternæ ab uno è duodecim ad dirissimam traditur lanienam. Pereant mellita alloquia, trossulata verba; si *Verbum Patris* æternum, ad immanem damnatur passionem. At verò quis hìc neget Solem in *SCORPIO fuisse eclipsatum, quando venenato labiorum attactu lethale virus Salvatori Judas instillavit? Ità sanè eclipsabatur; ipse tamen suæ non immemor serenitatis, porrectâ fronte venientem excipit: *Amice, ad quid venisti?* Si ad impetrandam veniam, en misericordiæ viscera; si ad obtinendas gratias, en fontem gratiarum; si ad consequendum Jubilæum; en Sacerdotem magnum. Cujus non animum eæ voces infregissent! Sacrilegi proditoris cor nè quidem tetigerunt. Manet immota crudelitas, & pertinax in

scele-

*SCORPIUS.

ſceleris propoſito conſiſtit furor. Ea nimirum humanæ imbecillitatis eſt conditio, ut bona levi attacta impulſu corruant; mala nè ſummis quandoque viribus eruantur. Jam verò quid ſibi vult feralis ille tubæ clangor, & tumultuariæ cohortis claſſicum? quaſi verò ſe ipsâ non ſatìs ſit animata crudelitas, nisì impulſo etiam claſſico excitetur. Debuit nimirum, more inſtitutóque Majorum, uſitato buccinæ ſono, Anni Jubilæi promulgari exordium; ut ſcirent univerſi JUBAL eſſe, id eſt annum, qui omnia bona ſecum attuliſſet: Malcho auriculam, Caiphæ vaticinij donum; Annæ primum ſui conſpectum, Herodi redintegratam cum Pilato amicitiam, Judæis agrum figuli, mortalibus reparatum ad hæreditatē jus, ſalutem, vitam, immortalitatem. Progredere nunc demum ex horto, publicæ libertatis Aſſertor, graviſſimis onuſte catenis, ligate funibus, ſtipate ſatellitibus, inter feſtiva impietatis jubila, tanquam victima ad mortem atrociſſimam. Progredere

dere sereniſſime Juſtitiæ SOL ad victimæ Symbolũ,& inter cornua * TAURI fœcundum gratiarum cornu in nos ingentibus oppreſſos calamitatibus effunde. En illa quondam terribilis, & vicinis metuenda orbis gentibus Europa, internis agitata odijs, civilibus afflicta bellis, exulceratis filiorum vexata furijs, ægrè tot triumphis, quot canis venerandum ſuſtentat verticem, & dubia, utram in partem cadat, totis Regnorum buſtis ruinæ ſuæ præludit, caſura molliùs, ſi tantis ruinis ſibi locum ſternat. Proh pudor ætati noſtræ! Neroniana redierunt ſæcula, & illi

† --- Quos tantis aluit Bellona triumphis,

cum quibus aliquando metuenda collideret, ſacrilegas in Matris viſcera adigunt lanceas, tantùmque ſibi licere mucrones ipſi erubeſcunt. Periere pacis leges; nihil ampliùs eſt audire, quàm tubas prælium animantes, volantia in hoſtem ſigna, micantia arma, colliſas galeas

* TAURUS. † *Claud. in Stil:*

galeas, & ſcuta ſcutis, conflictus, ſtrages, atque fugas, ſuprema pericula, & commiſtos vincentium victorúmque horribiles clamores, ac id omne, quod ferrea ſecum temporis ſæcula afferre valent.

Tu qui corda, manu, Regum
fortiſſime, verſas

Tu ſolus, quæ tam altas egerunt radices, malis mederi potes. Exorere amabile ſidus pacis, exorere in Tauro JUSTITIÆ SOL, & ab Europa tua procul tempeſtuoſas amove nubes, diſſipa fætam æreâ Martis grandine tempeſtatem, & in Autorum capita imminentem malorum procellam contorque. Sed quò me â tuis ô bone JESU tormentis, malorum noſtrum abduxit ſenſus? Progredere per torrentem Cedron, torrens ubertatis, & Diviniſſime JUSTITIÆ SOL, in AQUARIO Gentium ſalutem operare. En *aquæ multæ*, *Populi multi*, expectant ortum tuum, *lumen ad revelationem Gentium*. Et verò progreditur; diceres peregrinationem in Urbem ſanctam

ctam inſtitui, ſi colendæ, & non profligandæ religionis causâ impia cohors adveniſſet. Ac nè in re tanta non rectè peccetur, ante omnia cenſent ſacras adeundas ædes, & palatium Caiphæ, velut auguſtam Vaticani molem, viſitandum. Ibi primam Jubilæi gratiam præcæteris ſinè controverſia adeptus videri potuit Petrus, quando miſerentis Domini indulgentiâ exhilaratus flevit. O quanta hìc repentè metamorphoſis! Chriſtus videt, Petrus ardet; Chriſtus amore ad Petrum convertitur, Petrus dolore ad Chriſtum revertitur; Chriſtus oculo emittit jacula, Petrus animo admittit vulnera. O vulnera ſalutis remedia! ô jacula vulnerum medicina! Cecinit gallus, evigilavit Simon; prodiit aurora, ſurrexit Petrus; ortus eſt Sol, flevit Peccator; & ut impenſiùs, quem offenderat, amaret, *flevit amare* Ab aquis ad Piſces ſuo in meridie paludatus JUSTITIÆ SOL progreditur. PISCES ſilentij ſunt imago; amicus ſilentij DEUS eſt;

PISCES.

eſt ; unum , non ampliùs , VERBUM ab æterno prolocutus ; ſed ô quam malè ſub hoc ſidere VERBUM illud vapulabit ! Congregantur impietatis conciliabula, cuditur mendaciorũ faba falſa ſubornantur teſtimonia , tribunalia corrumpuntur , conſpirant Judices, tumultuatur Populus, utrumque forum; quia & Aulæ gravis veritas, judicio inviſa Juſtitia, & hypocriſi intolerabilis religio, conturbatur. Quid agis ô bone JESU? Judex omnium traheris ad judicium : ô quàm non generi, quàm non animo convenit iſtud forum ! Sapientia æterna examinaris de doctrina , ô quàm indignum æternis cogitationibus eſt examen ! Veritas antiqua de veritate interrogaris ; ô quàm fatua, & digna Autoribus ſuis iſta quæſtio ! Si reſpondeat Veritas, non credet malitia ; ſi diſputet Sapientia , non intelliget ſtultitia ; ſi judicet Judex, non ſubſiſtet reus ; & tamen veniſti ſalvare peccatores , illuminare cæcos , reducere errantes : quid ages , *ô via , veritas , & vita ?*

PISCES.

vita? si respondes ùt Judex, condemnas; si ùt Sapientia, non intelligeris; si ùt Veritas, non crederis. Medium adinvenit in silentio: *JESUS autem tacebat.* ô crudele silentium, quod ipsos Cœlos attonitos reddidisti! tunc nimirum *factum est in Cœlo silentium, quasi mediâ horâ*; cùm in terra Verbum æternum obmutuisset: tunc quieverunt vocales Angelorum chori, cùm vindictæ clamor usq; in Cœlum ascendisset. tunc viginti quatuor Seniores procidentes in facies suas augustissimum omiserunt canticum, cùm erecto collo peccatores Verbo Patris silentium indixissent. Eheu quàm formidabile aliquando rugiet ille Leo, qui modò tacet! quàm horrendum fulminabit aliquando ille Judex, qui modò condemnatur! quàm nervosè exprobrabit inimicis suis aliquando Sapientia illa, quæ modò deridetur! Verumtamen loquere, ô Verbum Patris, jam tua res agitur, non est ex omnibus, usque ad unum, qui consoletur te. Ipse conciliabuli sacer Antistes, dignus

ut

ut ante aram ſtet, ſed pro victima, ille inquam trabeatus innocentis ſangvinis helluo, quàm multo peſtilentis odij turgeat veneno, abunde declarat diſrupta veſtis: *Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua.* Debuit nimirum nè obſcurum eſſet ſcelus, remotis cortinis, tota perſonatæ patére ſcena improbitatis. Quamquam tolerabilis laceratæ veſtis eſſet jactura, nisì omnia ſimul Divina, humanáque jura, violato homine & DEO violarentur. *Unus miniſtrorum* (temeraria dextra quid audes?) levavit in DEUM manum ſuam; & ô ſcelus! alapam dedit publicæ libertatis Aſſertori. Servorum id olim erat, cùm libertate donarentur, ultimum ſuæ conditionis experimentum: Unde ergo in Dominum Dominantium tanta impietas? Verùm ſemel in præceps inclinata mortalium ſcelerata peccandi libido, tum demum ſubſiſtit, cùm ad profundum venerit, ut contemnat. Aliquid ampliùs efferatus Tyrannidis furor in DEUM machinatur. Stat armata flagellis im-

immanissimorum carnificum manus, & innocentia ad ludibrium veste suâ spoliatur. Ille qui cœlum stellis, solem fulgore, terram floribus distinxit, non habet filum, quô virginem carnem obumbret. O mundi Sol ocule, vides ista, & adhuc videris? necdum conversis in ortum habenis retrò præcipitas cursum? necdum excussis facibus sceleratas cum incolis incineras terras? Confunde lucem, quibus postliminiô orbem involuturus es tenebris, téque diémque tege. Heu me! quàm vellet Sol noster eclipsari! Sed in * CANCRO est, oportet exutà tunicâ, totam orbi patére serenitatem. Egórne satìs non erat corpus sævissimæ obijcere lanienæ, nisì etiam animus tam atrocia quodammodo patiatur pudicitiæ detrimenta? pudor ubi es? in omnium effunderis oculis? Miserum me, qui Annum Sanctum adeo sacrilegis ausis tam fædè video profanari! Divina lege cautum erat, nè quis Anno Jubilæo semen jaceret in terram, fru-

* CANCER.

 81

frumentum colligeret in horrea, botros in torcularia.

Sed quod ſponte ſuâ tellus
inarata ferebat,

id omne publici eſſet juris. & tamen avariſſima crudelitate, & improbiſſimorum colonorum laborioſâ nequitiâ ſúſque déque vertitur, & non tantùm botrus Cypri immani premitur torculari, ſed atrociſſimo vitis ipſa excidio deſtinatur. Parcite crudeles nefariæ impietatis ádminiſtri, fructum quidem per Jubilæum carpere licet, vites ipſas non licet vitiare. Parcite crudeles carnificum manus injicere collo vincula, adſtringere columnę, nè fortè quem ligaverat Amor, ſolvat Timor: Non ſunt fortiora crudelitatis vincula, quàm funiculi charitatis. Omnia vincit Amor, & de ipſomet Deo triumphavit. Ille omnipotetem de ſede majeſtatis ad infirmitatis noſtræ humilitatem adduxit; vulneravit impaſſibilem, ligavit inſuperabilem, flagellavit innocentem. Et ô immitem tyrannum! *Flagellatus eſt Dominus, ut ſangvis ejus in*

aëra

* *aëra resultaret, venæ dissecarentur, nervi frangerentur, caro tota dissolveretur.* Quid hìc agis Christiane? post Christum tam immaniter flagris cæsum, adhuc dura reformidas, adhuc mollia sectaris? jam te dudum amori tuo decuit conformari! ignave quid palles ad levia certamina? pudore debebas erubuisse, si non sangvine, postquam furor ad spinas usque Divinum rosetum est depopulatus. *Plectentes coronam de spinis posuerunt super Caput ejus*; & JUSTITIÆ Sol in † ARIETE suam mundo lucem explicuit, non ampliùs pro suo Isaac, sed totius mundi salute immolandus. O homo!! hi sunt fructus scelerum tuorum, hæc laureola certaminis, in quo levâsti adversùs DEUM manum tuam! Sed grandioribus jam tandem vestigijs annum consummaturus ad alia signa Sol digreditur. Nullam in eo causam invenit Præses, & tamen condemnat innocentem. *Ecce hircum pro peccato!* en en-

**S. Bern: tr: de Pass: c. 3.* † ARIES.

SOLEM JUSTITIÆ in * CAPRICORNO! Verùm itáne nullam in eo invenis cauſam Pilate? Omnium ab orbe condito patratorum ſcelerum reus eſt, & nullam in eo invenis cauſam? Rigidiſſimus criminum vindex poſuit ſuper eum iniquitates omnium noſtrûm, & nullam in eo invenis cauſam; Ità ſanè nullam in eo invenit cauſam mortis, quia in nullo peccavit mortaliter, niſì quia pro nobis factus eſt mortalis, ut eſſemus immortales. Hìc non ignarus omnium ſacrilegiorum plagiarius Iſcariotes poſſeſſiones rerum alienarum Jubilæi tempore ad Dominos ſuos redituras, retulit triginta argenteos dicens: *Peccavi tradens ſangvinem juſtum*: *Et abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Ratus actum eſſe de ſua vita, cùm ille â quo vitam acceperat, reus eſſe mortis. Deſperat de venia, quia veniæ largitorem, impio auſu proculcavit: Laqueo gulam eliſit, quia laqueum tetendit pedibus innocentis: Diffuſa ſunt viſcera ejus, quia eum in

* CAPRICORNUS.

in quo erant viſcera miſericordiæ tradidit in perditionem. At cur ego ingratam proditoris injeci mentionem? redeat unde divertit lachrymabilis oratio, & inter tumultuantis populi ſacrilega gaudia condemnatam ad mortem vitam comitetur. Egredere ex urbe, ô bone JESU, egredere; ad ſupplicium proficiſcere! egredere ex urbe, in quam nuper regali cum triumpho es ingreſſus; egredere ex urbe, in quam nuper ſubſtratis palmis vehebaris. Egredere ex urbe, imò & orbe, inter ſacrilegorum convicia, qui nuper publicis populi acclamationibus es exceptus. O quàm nulla diu ſibi conſtat ſerenitas! idem ventus, qui impellit carbaſa, ad ſaxa allidit rates, ijsdemque, quibus luſerunt fluctibus navigia ſorbentur. Idem populus, qui nuper acclamabat: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*; hodie ùt leo rugiens vociferatur: *Maledictus, qui pendet in ligno*; nuper: *Hoſanna in excelſis.* hodie: *Crucifige!* Quantum inter-

intervallum inter *Benedictus & Maledictus*, & tamen momento citiùs inconstans populi favor sinè medio ab uno extremo transit ad aliud. discite mortales, quali ordine res humanæ eunt! Quò sublimius Alcyoniæ volucres evolant, eò graviorem præsignant tempestantem: quo pacatiora quispiam rerum suarum experitur Alcyonia, ingens plerumque à tergo præcipitium expavescat. Audax nimiùm, qui fallaci deceptus sereno incertis fortunæ auris se permittit, ibì mergendus, ubi æquor est profundissimum. Væcors ille qui non intelligit, sub hac blandientis populi malitia furiosissimas dormire tempestates, quibus excitandis, vel unicus ventorum sibilus sit satìs. At at! jam feralis procedit pompa, Sol noster * LEONEM ingreditur, dum Leo Juda, tanquam Agnus ducitur ad occisionem. Marcus Antonius quondam per conferta populo Romano Urbis fora, triumphali curru invectus est quadrijugis Leonibus tracto; jam

* LEO.

jam planè domitis, qui paulò antè indomabiles fuerant; pavidis, qui nuper terribiles; lupato parentibus, qui modò effrænes: & virgæ obſequentibus ſuperbis illis ferarum Regibus, inceſſu ad numerum dimenſo, & fracto ad compedum patientiam furore; erigentibus quidem ſubinde colla, & jubas quatientibus, ſed confeſtim iterum ſubmittentibus capita, veluti ex Leone ſolius generoſitatis recordarentur.

Haud aliter, ſi magna licet
componere parvis.

Leo de tribu Juda, ille quondam Zelotes, ille terribilis, ad cujus conſpectum, & unam rugientis vocem tota exanimata retrorſum abijt cohors, ſubmiſſo capite, triumphale crucis eſſedum, cui ſalus humana inſidet, ad montem Calvariæ trahit, aurigantibus Amore & Dolore. Omnis in fine motus velocior, non ſubſiſtit Sol in VIRGINE; Sed cùm mollia ad compaſſionem filiarum Sion corda in amaras eliquarentur lachrymas, veniam

VIRGO.

veniam rogat; *nolite flere ſuper me ſed ſuper vosmetipſas flete.* Nimirum plus ei doluerunt ſecutura temporum noſtrorum delicta, quàm immania crudeliſſimæ paſſionis tormenta. Jámque iter emenſi Amor, & Dolor individui comites, Crucis eriguunt trophæum, & novo miraculo Juſtitiæ Sol duo ſigna occupat, * GEMINORUM, medius inter latrones, * ARCITENENTIS Crucifixus. Scilicet in ſublimi Calvariæ Monte, ædificavit ſibi arcem Rex dolorum, ſponſus ſangvinum, nè ampliùs piæ in quærendo animæ defatigentur; ſignavit iter ſangvine, nè per roſas ſperent eò ſe aliquando perventuras; grandibus viam veſtigijs eſt dimenſus, ut robuſtos invitaret ad certandum in ſtadio ſalutis animos, quod non vilium affectuum, ſed magnarum cogitationum eſt menſura. Agite ergo, ò mortales: † *Clamant ſputa, clavi, lancea, irriſiones, & verbera, ut ipſe toto corde, totíſq; viſceribus diligatur, qui pro dilectione noſtra, talia ac tanta pati eſt*

C *digna.*

* GEMINI * ARCITENENS. † *D. Juſt.*

dignatus. Clamat clavus, clamat vulnus, quod in Christo sit DEUS reconcilians sibi mundum. Agite ergo, & ad consequendam Jubilæi hujus gratiam, robustis pœnitentiæ incumbite affectibus, sublimibus volate suspirijs, grandibus properate lamentis, & per lachrymarum flumina, plenis, in mare rubrum passionis, ubi Justitiæ Sol occidit, linteis navigate.

Atque his non tam ex Jubilæi lege, quàm contra legem, poscente Justitia, impetrante Misericordiâ, jubente Amore, exequente Dolore, consummatis, nihil restat ultra, nisì ut plena delictorum fiat remissio, emancipatio servitiorum, & amissæ restitutio hæreditatis. Et en jam chirographum damnationis nostræ, vivifici sangvinis liturâ obducitur, ijsdem convulsionibus, quibus vulneratus in cruce torquebatur Salvator, discerpitur, & in amoris foco, quem in pectore succensum unus militum lanceâ ventilavit, salutaribus flammis concrematur.

Habe

S. Bern.

Habe tibi immortales gratias DEUS immortalis, qui curſum pœnarum, pro nobis conſummâſti : habe debitæ venerationis obſequia, qui tuo ad ardua nos exemplo animâſti : habe filialis amoris pignus, qui filios lachrymarum in mari rubro genuiſti. Veniet olim tempus laudis tuæ non avarum, quo poſteri viſere, & viſendum minoribus tradere geſtient, quis campus ſudores tuos hauſerit, quæ via tuo erubuerit ſangvine, quæ urbes tuis claruerint miraculis, quæ loca tuis ſint tormentis nobilitata. Quòd ſi defecerint homines eriget ſe terra, quam calcâſti, clamabit lignum, in quo pependiſti, exiliet collis, in quo crucifixus es ipſe arduus æther, uti quondam in tuas laudes animabitur, &

Sponſo ſangvinum,
Dilecto, Candido, Rubicundo,
Qui pro nobis factus eſt,
opprobrium hominum, &
abjectio plebis ;

Specioſo formâ præ filijs hominum,
Cui non fuit ſpecies neque decor;

Leoni de tribu Juda,
Qui tanquam agnus ductus
eſt ad occiſionem;

Regi Judæorum,
Qui factus eſt virorum noviſſimus;

Soli Juſtitiæ.
Qui pro nobis obſcuratus eſt;
Honorem, Gloriam,
Gratiarum actionem cantabit
in æternum.




VIA

VIA NAVIS
IN MEDIO MARI:
Proverb. 30. verſ: 19.
ID EST
Reverendiſſimus & Celſiſſimus
PRINCEPS,
AC
DOMINUS DOMINUS
MATTHÆUS FERDINANDUS
à BILENBERG,
DEI & Apoſtolicæ
Sedis Gratia Archi-Epiſcopus Pragenſis, S. R. I. Princeps, Legatus Natus, Inclyti Bohemiæ Regni Primas, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis Intimus Conſiliarius, nec non Univerſitatis Pragenſis Ampliſſimus Perpetuúsq; CANCELLARIUS;

Qui totum vitæ confecit æquor,
venitque ad portum Gloriæ
M. DC. LXXV. Aprilis 29.
ORATIONE FUNEBRI
ADUMBRATA
CORAM
Illustrissimis, & Excellentissimis
REGNI PROCERIBUS,
Reverendissimis & Insulatis
PRÆLATIS & CANONICIS
Alióque honoratissimo
AUDITORIO,
In S. Metropolitana Ecclesia
DIVI VITI.
PER
WENCESLAUM
ANDREAM MACARIUM
à MERFELITZ,
SS. Theologiæ Doctorem, in
In Basilica prælibata Canonicũ, & Ecclesiasten; Archi Episcopalis Consistorij Prag: &c.
Cancellarium & Assessorem.
Mense Majo Die 29. Anno Domini 675.

 87



SI teſte Clemente (*a*) diſciplinarum omnium pulcherrima & maxima eſt ſeipſum nôſſe : age quisquis artium ſcientiarúmque es candidatus, & (verbis te alloquor doctoris melliflui) ſtude cognoſcere te (*b*) quia multò laudabilior es, & melior, ſi te agnoſcis, quàm ſi neglecto te curſum ſiderum cognoſceres, vires herbarum, naturas hominum & animalium, & haberes omnium cœleſtium& terreſtrium ſcientiam: quidquid enim in hoc vaſtiſſimo Megacoſmi conſpexeris amphitheatro id ipſum (*c*) in Microcoſmo (ità hominem appellat Triſmegiſtus) compendiosè conſpexiſti. Miracula ſuſpicis in Megacoſmo? miraculum maximum Plinio (*d*) eſt microcoſmus, quia divini ingenij cura, (*e*) imago, frater, conviva, hæres DEI, imò vix non ipſe DEUS: dixit enim (*f*) Dij

 eſtis

(a) *Clemens lib. 3. Pædag.* (b) *Bernardus in medit. c. 5.* (c) *Trismegiſtus.* (d) *Plato.* (e) *Tertull.* (f) *Pſal. 81.*

in quo erant viſcera miſericordiæ tradidit in perditionem. At cur ego ingratam proditoris injeci mentionem? redeat unde divertit lachrymabilis oratio, & inter tumultuantis populi ſacrilega gaudia condemnatam ad mortem vitam comitetur. Egredere ex urbe, ô bone JESU, egredere; ad ſupplicium proficiſcere! egredere ex urbe, in quam nuper regali cum triumpho es ingreſſus; egredere ex urbe, in quam nuper ſubſtratis palmis vehebaris. Egredere ex urbe, imò & orbe, inter ſacrilegorum convicia, qui nuper publicis populi acclamationibus es exceptus. O quàm nulla diu ſibi conſtat ſerenitas! idem ventus, qui impellit carbaſa, ad ſaxa allidit rates, ijsdemque, quibus luſerunt fluctibus navigia ſorbentur. Idem populus, qui nuper acclamabat: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*; hodie ùt leo rugiens vociferatur: *Maledictus, qui pendet in ligno*; nuper: *Hoſanna in excelſis.* hodie: *Crucifige!* Quantum

inter-

intervallum inter *Benedictus & Maledictus*, & tamen momento citiùs inconstans populi favor sinè medio ab uno extremo transit ad aliud. discite mortales, quali ordine res humanæ eunt! Quò sublimius Alcyoniæ volucres evolant, eò graviorem præsignant tempestantem: quo pacatiora quispiam rerum suarum experitur Alcyonia, ingens plerumque à tergo præcipitium expavescat. Audax nimiùm, qui fallaci deceptus sereno incertis fortunæ auris se permittit, ibì mergendus, ubi æquor est profundissimum. Væcors ille qui non intelligit, sub hac blandientis populi malitia furiosissimas dormire tempestates, quibus excitandis, vel unicus ventorum sibilus sit satìs. At at! jam feralis procedit pompa, Sol noster * LEONEM ingreditur, dum Leo Juda, tanquam Agnus ducitur ad occisionem. Marcus Antonius quondam per conferta populo Romano Urbis fora, triumphali curru invectus est quadrijugis Leonibus tracto; jam

jam planè domitis, qui paulò antè indomabiles fuerant; pavidis, qui nuper terribiles; lupato parentibus, qui modò effrænes: & virgæ obſequentibus ſuperbis illis ferarum Regibus, inceſſu ad numerum dimenſo, & fracto ad compedum patientiam furore; erigentibus quidem ſubinde colla, & jubas quatientibus, ſed confeſtim iterum ſubmittentibus capita, veluti ex Leone ſolius generoſitatis recordarentur.

Haud aliter, ſi magna licet
componere parvis.

Leo de tribu Juda, ille quondam Zelotes, ille terribilis, ad cujus conſpectum, & unam rugientis vocem tota exanimata retrorſum abijt cohors, ſubmiſſo capite, triumphale crucis eſſedum, cui ſalus humana inſidet, ad montem, Calvariæ trahit, aurigantibus Amore & Dolore. Omnis in fine motus velocior, non ſubſiſtit Sol in VIRGINE; Sed cùm mollia ad compaſſionem filiarum Sion corda in amaras eliquarentur lachrymas, veniam

veniam rogat; *nolite flere ſuper me ſed ſuper vosmetipſas flete.* Nimirum plus ei doluerunt ſecutura temporum noſtrorum delicta, quàm immania crudeliſſimæ paſſionis tormenta. Jámque iter emenſi Amor, & Dolor individui comites, Crucis eriguunt trophæum, & novo miraculo Juſtitiæ Sol duo ſigna occupat, * GEMINORUM, medius inter latrones, * ARCITENENTIS Crucifixus. Scilicet in ſublimi Calvariæ Monte, ædificavit ſibi arcem Rex dolorum, ſponſus ſangvinum, nè ampliùs piæ in quærendo animæ defatigentur; ſignavit iter ſangvine, nè per roſas ſperent eò ſe aliquando perventuras; grandibus viam veſtigijs eſt dimenſus, ut robuſtos invitaret ad certandum in ſtadio ſalutis animos, quod non vilium affectuum, ſed magnarum cogitationum eſt menſura. Agite ergo, ò mortales: † *Clamant ſputa, clavi, lancea, irriſiones, & verbera, ut ipſe toto corde, totiſq; viſceribus diligatur, qui pro dilectione noſtra, talia ac tanta pati eſt*

 digna.

* GEMINI * ARCITENENS. † *D. Juſt.*

dignatus. Clamat clavus, clamat vulnus, quod in Chriſto ſit DEUS reconcilians ſibi mundum. Agite ergo, & ad conſequendam Jubilæi hujus gratiam, robuſtis pœnitentiæ incumbite affectibus, ſublimibus volate ſuſpirijs, grandibus properate lamentis, & per lachrymarum flumina, plenis, in mare rubrum paſſionis, ubi Juſtitiæ Sol occidit, linteis navigate.

Atque his non tam ex Jubilæi lege, quàm contra legem, poſcente Juſtitiâ, impetrante Miſericordiâ, jubente Amore, exequente Dolore, conſummatis, nihil reſtat ultra, nisì ut plena delictorum fiat remiſſio, emancipatio ſervitiorum, & amiſſæ reſtitutio hæreditatis. Et en jam chirographum damnationis noſtræ, vivifici ſangvinis liturâ obducitur, ijsdem convulſionibus, quibus vulneratus in cruce torquebatur Salvator, diſcerpitur, & in amoris foco, quem in pectore ſuccenſum unus militum lanceâ ventilavit, ſalutaribus flammis concrematur.

Habe

S. Bern.



Habe tibi immortales gratias Deus immortalis, qui curſum pœnarum, pro nobis conſummâſti: habe debitæ venerationis obſequia, qui tuo ad ardua nos exemplo animâſti: habe filialis amoris pignus, qui filios lachrymarum in mari rubro genuiſti. Veniet olim tempus laudis tuæ non avarum, quo poſteri viſere, & viſendum minoribus tradere geſtient, quis campus ſudores tuos hauſerit, quæ via tuo erubuerit ſangvine, quæ urbes tuis claruerint miraculis, quæ loca tuis ſint tormentis nobilitata. Quòd ſi defecerint homines eriget ſe terra, quam calcâſti, clamabit lignum, in quo pependiſti, exiliet collis, in quo crucifixus es ipſe arduus æther, uti quondam in tuas laudes animabitur, &

Sponſo ſangvinum,
Dilecto, Candido, Rubicundo,
Qui pro nobis factus eſt,
opprobrium hominum, &
abjectio plebis;

Specioſo formà præ filÿs hominum,
Cui non fuit ſpecies neque decor;

Leoni de tribu Juda,
Qui tanquam agnus ductus
eſt ad occiſionem;

Regi Judæorum,
Qui factus eſt virorum noviſſimus;

Soli Juſtitiæ.
Qui pro nobis obſcuratus eſt;
Honorem, Gloriam,
Gratiarum actionem cantabit
in æternum.



VIA

 86

VIA NAVIS
IN MEDIO MARI:
Proverb. 30. verſ: 19.
ID EST
Reverendiſſimus & Celſiſſimus
PRINCEPS,
AC
DOMINUS DOMINUS
MATTHÆUS FERDINANDUS
à BILENBERG,
DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archi-Epiſcopus Pragenſis, S. R. I. Princeps, Legatus Natus, Inclyti Bohemiæ Regni Primas, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis Intimus Conſiliarius, nec non Univerſitatis Pragenſis Ampliſſimus Perpetuúsq; CANCELLARIUS;

Qui totum vitæ confecit æquor,
venitque ad portum Gloriæ
M. DC. LXXV. Aprilis 29.
ORATIONE FUNEBRI
ADUMBRATA
CORAM
Illustrissimis, & Excellentissimis
REGNI PROCERIBUS,
Reverendissimis & Infulatis
PRÆLATIS & CANONICIS
Alióque honoratissimo
AUDITORIO,
In S. Metropolitana Ecclesia
DIVI VITI.
PER
WENCESLAUM
ANDREAM MACARIUM
à MERFELITZ,
SS. Theologiæ Doctorem, in
In Basilica prælibata Canonicū, & Ecclesiasten; Archi Episcopalis Consistorij Prag: &c.
Cancellarium & Assessorem.
Mense Majo Die 29. Anno Domini 675.



SI teſte Clemente (*a*) diſciplinarum omnium pulcherrima & maxima eſt ſeipſum nôſſe : age quisquis artium ſcientiarúmque es candidatus, & (verbis te alloquor doctoris mellifluì) ſtude cognoſcere te (*b*) quia multò laudabilior es, & melior, ſi te agnoſcis, quàm ſi neglecto te curſum ſiderum cognoſceres, vires herbarum, naturas hominum & animalium, & haberes omnium cœleſtium & terreſtrium ſcientiam: quidquid enim in hoc vaſtiſſimo Megacoſmi conſpexeris amphitheatro id ipſum (*c*) in Microcoſmo (ità hominem appellat Triſmegiſtus) compendiosè conſpexiſti. Miracula ſuſpicis in Megacoſmo ? miraculum maximum Plinio (*d*) eſt microcoſmus, quia divini ingenij cura, (*e*) imago, frater, conviva, hæres DEI, imò vix non ipſe DEUS : dixit enim (*f*) Dij

(a) *Clemens lib. 3. Pædag.* (b) *Bernardus in medit. c. 5.* (c) *Trismegiſtus.* (d) *Plato.* (e) *Tertull.* (f) *Pſal. 81.*

estis vos, filij excelsi omnes. Sed sunt bona mixta malis, & encomiorum perpes pedisequa est invidia, quantum enim ab uno laudaris, tantum ab alio vituperaris; quantum ab hoc extolleris, tantum ab isto deprimeris: ità nempe (*g*) nulla sors longa est: dolor & ignominia invicem cedunt, alternántque vices. Miraculum es miraculorum maximum: quis enim constantem tuam inconstantiam non miratur? fragilem soliditatem, quis non obstupescit? Microcosmus es: sed quàm mobilis! quàm volubilis! ad cujus nimirum motum, non opus est, cum Archimede locum extra terram postulare, quem unicus asperioris Boreæ prosternit flatus. Divini ingenij cura es: quia toties ab eodem avius per devia quærendus eras, ut repertireris. Imago es; cujus summa laus & ars maxima in umbra fugaci & non apparente, est fugis enim velut umbra. Frater es, sed vermium, dixisti enim vermibus: soror mea es. Hæres es: sed putredinis. hanc enim patrem

(g) *Seneca in Thyeste.*

patrem agnoſcis tuum. Conviva es: ſed ſerpentum. hos enim, ubi vixeris, nutriturus es. Et ſi penitiùs in originem tuam inquirere lubet, deſcende in domum figuli & ſcies, quia homo es de humo, lutum de luto, mancipium mortis, (*h*) & vaſallus, fortunæ luſus (*i*) imago inconſtantiæ (*k*) corruptionis ſpeculum, (*m*) ſpirans cadaver, viva mors, fumus evaneſcens, navis præteriens. de qua eleganter more ſuo Gregorius (*n*) vita noſtra ſimilis eſt naviganti, ſtet, ſedeat, jaceat, vadàtque, impulſu navis ducitur; & Poëtarum non nemo: (*o*) Eſt, inquit,

- - - - Mundus mare,
vita phaſelus,
Vector homo, ſpes eſt anchora, Typhis amor.

(h) *Plautus.* (i) *Ariſtoteles.* (k) *Triſmegiſtus.* (l) *Plautus.* (m *Sophocles.* (n, *Greg. Mag: lib: 6. Epiſt:* (o) *Verpaus,*

Sunt lachrimæ fluctus, venti
suspiria, lenis
Aura favor, zephyris carbasa
tensa, preces.

Mare hoc navis nostra Reverendissimus, & Celsissimus MATTHÆUS FERDINANDUS à BILENBERG DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ ARCHI-EPISCOPUS PRAGENSIS, SAC. ROM. IMPERII PRINCEPS, Legatus, natus Inclyti Regni Bohemiæ Primas, SAC. CÆSAREÆ REGIÆQUE MAIESTATIS Intimus Consiliarius, Universitatis CAROLO-FERDINANDEÆ amplissimus perpetuúsque Cancellarius; ingressus anno labentis sæculi decimo octavo, ea emensus est dexteritate ad annum præsentem usque, ut nec à svaviter cantantibus, nisì malitis, incantantibus deciperetur sirenibus, nec à frementibus undique concuteretur Aquilonibus, nec ab insurgentibus undequaque opprimeretur procellis atque fluctibus. Virtute enim ad gubernaculum

lum navis ſedente, fluctuare vitæ noſtræ navis poteſt, mergi non poteſt. Vos qui MATTHÆUM ad portũ æternitatis appulſum vidiſtis nuper, eundem rurſum hodie videte navigantem, & de navigatione ejus mortali paucula differentem favoris veſtri Favonijs dictionis meæ cymbam propellite, ut feliciori ſidere flumen decurram eloquentiæ, in eundem cum MATTHÆO (quod unicè voveo) portum olim devehendus. quòd ſi tamen in flumine hoc nonnihil fluctuare me, dum vixiſti, Cancellarium tuum contingat, ad Anchoram tuam gentilitiam Princeps nuper Celſiſſime oculos convertam meos, ab illa inter fluctus patrocinium præſtolaturus.

Paternos inter lares ad omnem pietatem inſtructa navis noſtra jam tum ea, tenella licèt, probitatis edebat ſpecimina & argumenta, ut palàm conteſtaretur omnibus, quantos olim in via virtutis progreſſus eſſet factura, nec diu paternum morata littus, altiùs proſpicere cæpit, & ut felicioribus decurreret æquor

 carba-

carbasis, in flumine primùm Hyppocreneo, tum Rhetorico didicit ludere cum procellulis, ut in altum provecta decumanis etiam illuderet procellis. Lusit & illusit, & ut illuderet securiùs deinceps, cynosuram (sidus in mari navigantibus perquam necessarium & proficuum) respexit MARIAM Braunæ Benedicto, quia Benedictino vestitus amictu, totus totus benedictus, quia Benedicti filius, magni Patris magna soboles, nobilis Patriarchæ, nobilis hæres, non ejus quidem nobilitatis, quam nonnulli ab avitis majorum emendicant ceris, vel imbelles ineunt Legatarij & hæredes, sed quam ipsis operibus ad summum evexit Benedictus, continuavit MATTHÆUS, amictûs & virtutis hæres verè nobilis, sed apud DEUM; apud quem si Gregorio credimus (*p*) summa nobilitas est, virtutibus esse clarum; ità nempe fortes creantur fortibus (*q*) nec imbellem progenerant aquilæ columbam. Decurrerat interim ad portum æternitatis Benno,

(*p*) *Hieronym.* (*q*) *Horatius.*

no, & fractis diuturna ætate vitæ tabulis ſubſidit navis. Quæritur & inquiritur alia, quæ ſacratiores in altum perfectionis provehat alumnos & cœnobitas, in unum conſpirant MATTHÆUM plerique omnes, unicus reſiſtit ille, teneram adhuc Religionis prætexens ætatem, imbecillas vires, & quam mater honorum humilitas ſuggerebat, indignitatem: verùm magnanimâ hac dignitatis & infulæ abjectione aliud evicit nihil, quàm ut quemadmodum umbra corpus, ità virtutem ſequeretur honor; & profundam animi demiſſionem, profunda viri tanta æſtimatio, gloria æſtimationem, non jam tantùm Religioſos inter ad magnam Matrem Braunæ, & apud eosdem ad Divi NICOLAI Pragæ, quibus, non multis ab hinc annis, urgentibus aliorum votis cum dignitate præluxit ABBAS; ſed & apud Auguſtiſſima & ſanctiſſima orbis & urbis capita, dum offerente Auguſtiſſimo, conferente Sanctiſſimo Epiſcopalem Reginæ-Hradecij conſcendit cathedram Proto-Epiſcopus, eo ſubjectarum

gau-

gaudio animarum & lætitia, quam dies inaugurationis merebatur, Dominica Lætare. Et cui ſolatiorum turbine excitus ſua è ſede non ſurrexiſſet animus, eo potiſſimùm tempore, quo in Epiſcopo Patrem, in Præſule Matrem, in MATTHÆO mel (ità enim ex Hebræo transfert Germanus) & ſvavitatem accepere Reginæ-Hradecenſes, quem intimis cordium affectibus ſalutabant omnes, amplexabantur omnes; & meritò: quis enim manum DEI (ità MATTHÆUM vertunt Interpretes) baſijs non excipiat, oſculis non revereatur? ſed fruſtra eſt.

Omnia ſunt hominum tenui
pendentia filo
Et ſubito caſu quæ valuêre
ruunt.

Extrema quippe gaudij luctus occupat: mare denique mundus eſt, perpetuum vivit Protheum, vertiginis motu agitur, non trepidationis. Quid plura? mundus

dus orbis eſt: an ergo mirum? quod cum orbe in orbem agantur omnia? & revera acta ſunt. Vix enim uno, amati Antiſtitis vultu, dilecti Patris convictu, conceſſum eſt frui anno, corculo Bohemiæ (ſic Reginæ-Hradecium Bohemi indigitant Geographi) urbi Reginæ-Hradecenſi; cùm, quos antè Abbatis virtus perſtrinxit oculos, nunc eosdem Proto-Antiſtitis rapuit zelus Auguſtiſſimos. Ex Albi & Aquila in Moldavam navis noſtra migrare juſſa anno â Proto-Epiſcopatu vix elapſo, eò majori ovicularum ſuarum comitata abivit cum triſtitia, quò, uberiori cùm adventaret, excepta fuit cum lætitia. Ità nempe Prætoriam hanc Patriæ & Regni noſtri navim in ijs oportuit habitare undis, ubi & paſcua uberiora, & ovicularum in ovile Chriſti reducendarum frequentior foret occaſio, Paſtori noſtro revera bono, quod vel exinde colligas, quia Dominico eo, quo Paſtorem bonum in Evangelio proponit Eccleſia, ad Archi-Epiſcopalem clavum ſedere eſt juſſus MATTHÆUS

THÆUS primus nomine, dignitate Archi-Epiſcopali decimus ſextus. In altùm evecta navis, ut eò ſecundiori progrederetur flumine, Præfectos navis elegit eos, quorum ope & opera ad portum beatæ proveheretur æternitatis. Præfecta navis eleemoſyna, & in egenos prodiga ferè liberalitas, ità ſibi Pauperum conciliavit animos & affectus, ut unitis ſuſpirijs, iteratis aſpirationibus navi huic noſtræ fauſtam voverent navigationem, imò eandem calentibus promoverent Favonijs, ſecuriores remiges, quia precibus pro remis uſi, quod vel indè cognoſcas licet, quia ad portum felicitatis jam appulſam navim noſtram nonnisì pauperes (domeſticos ſi excipias, & familiares) ſunt comitati, tot remis quot baculis inſtructi claudiani, ut eam, ſi fortè alicubi in ſicco hæſiſſet, faciliùs ad promontorium bonæ ſpei promoverent. Atque indè fortaſſe illud eſt, quod in navis hujus ſcuto gentilitio ſculptum video & depictum brachium cum Anchora expanſum, ut nimirum reapſe demonſtra-

ſtraret ſpem Pauperum in uno MATTHÆO ſitam fuiſſe. Ego certè, ſi pictorem potiùs, quàm Oratorem ex hoc loco agere vellem, appingerem Anchoræ epiphonema quodpiam, quod profuſam in egenos liberalitatem MATTHÆI commendaret, ſed officij mei memor Poëtis atque Pictoribus committo illud. Pingant illi expanſum & exporrectum cum Anchora brachium, pingant oculos in Anchoram dirigentem pauperem, addat Poëta lemma: *Oculi omnium in te ſperant Domine*; aut illud ejusdē Poëtæ & Pſaltis regij: *Aperis manum tuam Tu, & imples.* Pingant montem, & monti adjacentem pauperem identidem ſurſum ſuſpicientem, addat vates lemma: *Levavi oculos meos in montem.* Taceo navis hujus OEconomum ædilem & Præfectum, zelum divinioris gloriæ & animarum, quia me, & iſtis tacentibus lapides loquentur iſti, quos à vilibus avulſos Petris in auguſtas compegit baſilicas, erexit ſtructuras, eduxit Eccleſias. Avertite tantiſper

ocu-

oculos ab Oratore & ad exſurgentem hoc ipſo in loco eosdem convertite Baſilicam, & videbitis, quàm omnia extollant MATTHÆUM, quàm ſingula deprædicent FERDINANDUM. Exſurgite de pulvere veſtro ſacratiores Regni hujus Indigetes, & Tutelares Divi, & videbitis tot honori veſtro erectas pyramides & obeliſcos, quot in altum huc & illuc eductas cernetis columnas & pilaſtros. Exſurge Martyr Antiſtes Sanctiſſime ADALBERTE, & honori Tuo protuberantes intuere machinas, mirare moles: ſurge & circumſpice, & quos cives in utramque partem ſtertentes doluiſti, redivivus; MATTHÆI zelo ad Eccleſiam reductos obſtupeſce & amplectere Bohemos, Exſurge bis purpurate Princeps, & Regni noſtri ABEL innocentiſſime WENCESLAE, Martyr inclyte, & MATTHÆUM pro honore Tuo zelantem intuere, & quantum eidem promovendo agendóque inſudârit, videbis diem, ejus cura & labore Breviario Romano te inſertum,

dum

iconem tuam in argentum ſplendeſcentem, & Mauſolæo tuo inſiſtentem, dum honori tuo non ſolùm Sodalitatem Kuttnâ urbe ab argento nobiliſſima, ſed ex toto propè Regno ad tumulum tuum invitante, & ſumptus quandoque egentioribus ſubminiſtrante MATTHÆO, advolantes conſpexeris hebdomade illâ, quâ glorioſi & innocentis certaminis tui memoriam grata recolit tibi ſemper dilectæ Bohemiæ triurbs. MATTHÆI zelo & fervori veſtram debetis Pharum Cives Prageni, dum CHRISTI de Cruce penduli ab arte & metallo jam antè illuſtrem accenſa perenni lampade intuemini illuſtriorem; Veſtram labori ejus conſecratam Sacro-Montani Patres debetis Eccleſiam, Veſtram Thereſiani Micro-Pragenſes, Veſtram Waldiczenſes ad Gitzinium Silentiarij, Veſtras reliqui Regni hujus complures Religioſi & devoti incolæ. Induſtriæ MATTHÆI debetis excuſas Novi TESTAMENTI paginas vigilantiſſimi animarum Curati. Longus ſim

ni-

nimiùm & prolixus, si singula ARCHI-PRÆSULIS nostri decora prosequi vellem dictione, totum me dixisse putabo, si dixero: Zelus domus DEI comedit eum. Pro qua usque adeo zelabat MATTHÆUS noster, ut & ARCHI-PRÆSULIS animũ sacratior depasceret ignis, & vis amoris, quo æstuabat pectus, in exteriores etiam redundaret artus eo progressu & incremento, ut caloris vehementiâ pulmonibus accensis merum ignem, quia amorem merum, spirare videretur zelotes noster, & Vester diviniores cœli incolæ Regni PATRONI Tutelares, amore dignus reciproco, quia & amavit gentem Vestram & Ecclesiam; imò Ecclesias ædificavit vobis, consummaturus omnes & ad fastigium deducturus, nisi brachium MATTHÆI tot jam annis in Anchora tenenda lassatum, & ideo malè affectum liberatura rerum & laborum omnium finis mors, Anchoram de prora jaci jussisset, & navim nostram in littore subsistere coëgisset Anni currentis, Mense Aprili, die vigesimâ nonâ,

nâ, ætatis anno, suprâ quinquagesimum sexto.

Qua placidè jam tandē subsistente tu pariter modicùm hic subsiste, &

STA VIATOR.

Huc ventum est:

UBI sæculorum molimina levi motu vertiginem passa, lunantur in occasum.

Suspexisti nuper in meridie Honorum.

MATTHÆUM FERDINANDUM ARCHI-EPISCOPUM PRAGENSEM,

Deinceps vitæ illius Hesperum,
In profundas humanæ mortalitatis umbras declinantem observa.
Neque tamen sic occidit,
Quin meliore sui parte superstes in piorum animis oriatur,

Mor-

Mortalis cùm esset, Virtuti vixit,
ut fieret immortalis.
Hoc nempe Virtus habet boni,
stemma non respicit,
Non accipit immortales, sed
facit.
Scivit MATTHÆus ubi perennaret
immortalitas,
Quando liberali in egenos censu,
eorum in perpetuum
Gratitudinem sibi fecit vectigalem.
Pauperes semper habetis vobiscum *
Ibi quærenda immortalitas,
Ubi inexhaustum *semper* invenitur.
Neque ingentia vitæ, huic immortalitati, exhaurienda pericula
Pauper ubique jacet.
Jacuit quot diebus apud fores
MATTHÆI stipem subsidiariaum
rogitans,
Imò,

* *Matth*: 26.

Imò, quod Paradoxum eſt, dum
maximè jacuit, maximè ſtetit,
quò plùs eguit, plùs habuit,
Piâ liberalitate, juxta menſuram
indigentiæ ſingulis elargiente.
Verûm cùm munifica deficeret
dextra
Nimio conatu incaleſcens,
Dum ſola in ſalutem Proximi, *ne-
ſciente ſiniſtrâ* laborat,
Ne non liberalis æternitati
minùs viveret; *vixit*.
MATTHÆUS eſto fuerit,
E quinquaginta ſex negotiationis
ſuæ annis, die ſeptimâ infra
Octavam S. Adalberti.
Ut etiam hìc Factoris ſui ima-
ginem exprimeret,
ab univerſo opere ceſſans,
Naturæ debitum; Morti telonium
exſolvit.

Ità

Ità nempe, neque ad telonium ſe-
denti Mors parcit telonium.
Nec mirum
Emenſo procelloſo vitæ mari,
portum tenuit,
Eſt enim mors portus, ad quem
continuò navigamus. *Idiota.*
Dominicâ, quâ Paſtoris boni offi-
cium commendabatur
Sedem Archi-Epiſcopalem
ingreſſus,
Veluti paſtorali perſunctus officio
die eandem Dominicam
Subſequente, diſceſſit.
Neque in d...eſſu ſui muneris
oblitus,
Ut qui vitâ ſuâ omnibus prodeſſe
ſtuduit, etiam morte prodeſſet.
Mortuus eſt, ſed in Aprili,
Ne vitæ ſereno nimiùm ſecuri
confidamus.
Mortuus eſt; ſed die Lunæ,

Ut

Ut caducam rerum omnium
nobis ingereret mortalitatem.
Mortuus eſt, ſed veſpere,
Ut eum ad quietem abijſſe
non dubitantes,
Nos meliùs ad veſperum in æterni-
tatem deſiturum comparemus.
Et tantus cùm eſſet,
nonnisì annoMAGNO,& Jubilæo
mortuus eſt.
Neque mortuus eſt, ſed ortus,
Non obijt, ſed abijt;
Non eum amiſimus; ſed
præmiſimus.
Et qui animæ ſuæ deſideravit,
ut moreretur morte juſtorum,
Impetravit.
Echo in morte nactus,
quam vivendo bene, inquirebat;
Nempe: qualis vita, mors eſt ità,
Oleo ſacro unctus, ſanctè cùm vi-

xiſſet, morte ſanctâ, ſacro igne
eſt conſumtus.
Hinc non mirâre Viator,
quòd in cinerem deſierit;
Sed in pulvere dormienti
bonam noctem apprecare.
Nè quidquam ſecum acciperet
cum Jobo;
Pecuniam dilapidavit,
In lapides pro Eccleſia diſpergendo.
Ut, ſi tacuerint homines,
Erigant ſe ſurrecturæ olim
Divi VITI Baſilicæ fundamenta,
Et in laudes ejus animentur.
Ut liber exuvijs evolaret,
Animam DEO
quam ab eo ſortitus eſt bonam,
Corpus MAGNÆ MATRI;
Ut, apud quam bene habuit in vita,
meliùs haberet in morte,
Cor D. Martyri WENCESLAO;
ut,

ut, ubi fuit theſaurus,
ibi eſſet & cor ſuum;
Viſcera D. NICOLAO,
Ut oſtenderet, quanti faceret Patres in viſceribus Chriſti dilectiſſimos.
In ſtatu Perfectorum vivus & mortuus, etiam perfectè voluit tumulari,
Et quia omne trinum perfectum,
Indè tribus in locis tumulatur.



SCILICET--
JACERE
Uno non potuit tanta ruina loco.

ABI VIATOR
MATTHÆVS
FERNANDVS ARCHI-
PRÆSVL PRAGENSIS ABIIT;
SEQVERIS.

A VIATORE ad viam tuam navis in medio mari me converto: abi & tu, labore perfuncta & defuncta tuo, ad portum beatitatis æternæ, ad quem toties suspirabas, quoties in cœlum suspiciebas, digna hoc portu es, quæ tot comitata animabus (quas in Regno hoc, dum

dum ſvadente zelo univerſalem in-
ſtituiſti reformationem , Eccleſiæ
reſtituiſti) ad eundem appuliſti.
Duc in altum Beatitatis temetipſā,
& quæ Dominicâ à Paſchate ſecun-
dâ ſecundè ad Moldavam translata
es noſtrum , Dominicâ rurſum ab
eodem Paſchate ſecundâ requieſce
à laboribus,& ad torrentem uber-
tatis devecta perge in Divino lude-
re Cymba vado ; ad ferias abi ſe-
cundas, feriâ ſecundâ ſecundiſſimè
defuncta labore navis ; & quæ
Martyris infulati in ſede hac Ante-
ceſſoris ADALBERTI ſolennia ce-
lebrare non potuiſti in mari, octa-
vam (pridie cujus requieviſti) cele-
bra in portu : Abi & quæ in trans-
latione Divi MATTHÆI ab Epi-
ſcopatu translationem celebrâſti in
Archi-Epiſcopatum , eandem cele-

brare continua in cœlis, ante quam pauculis abivisti diebus. Abi denique & requiesce. Nos ac inprimis ego Tibi quondam à Cancellis Cancellarius post tot labores & procellas in portu æternitatis placidè jam quiescenti, nauticum accinemus celeusma:

REQUIEM
ÆTERNAM.

DIXI.


A.M.D.G.



AD-

99

ADVMBRANTUR
DUO
LUMINARIA
MAGNA
Luminare Majus
ET
Luminare Minus,
Genes. I.
DIE FESTO SANCTORVM
PETRI & PAVLI,
SIVE
ORATIO
A
REVERENDO AC DOCTISSIMO
DOMINO
WENCESLAO ANDREA
MACARIO, BUDVICENSI BOHEMO,
AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtro, Auguſtiſs: Imp:
Ferdinandi II. Alumno Eccleſiaſt: SS. Theologiæ
auditore ex Convictu S. Bartholomæi Pragæ
IN ALVMNATV DICTO HABITA.



POsitus in medio, quo me vertam? ad dicendum charitas Petri provocat, dilectio Pauli invitat, encomia utriusque referenda monet obligatio, urget officium, impellit necessitas: muneri subscribentem animum retrahit, *ne Hercules contra duos*, quin imò ipsa in contrarium sese opponere videtur ratio. Quomodo etenim terrenorum encomiorum quidpiam gratum accidere poterit ijs, quibus totus crucifixus est mundus? Vereor, & non abs re vereor nè impenetrabilis hîc *labyrinthus* efficiat, *labor* sit *intus*. Parce itaque ô sancta Dyas silentium aggredienti! da veniam ô beata Biga! notum nimirum illud Chrysostomi, impar esse omne humanæ linguæ præconium ad vestras ô Apostoli dicendas laudes; atq; si amplius * *sicut cera à facie ignis* post Deum omnis mortalis

* *Psalm.* 51.

talis oratio deficit, (a) *pauper inops* aliquid addidero illis, quorum ipsamet *suprema sapientia*, insignis jam pridem extitit prædicatrix inquiens: (b) *Vos enim estis lux mundi* (c) *Vos estis sol terræ.* (d) *Beatus es Simon Bariona*, (e) *vas electionis est mihi iste.* Hæret aqua, *fatiscit* lingua, caligant ad ejusmodi præsentiam Oratoris oculi, adeoque:

(f) *Non mihi si linguæ centum sint oráq; centum*,
Omnia (non) *pœnarum* (sed laudum) *percurrere nomina possem.*

Quid enim Petro majus? quid potest conferri cum Paulo? qui omnem creatam naturam, tam in cœlo, quàm in terra vicerunt, qui luto corporis implicati, ipsis tamen Angelis inventi sunt majores! non invenio orationem dignam ad eos laudandum, qui nostrum genus laudavêre, totam terram ac mare obiêre. Hic (g) *frænum Judæorum Petrus*, ille *adhoratio gentium*

(a) *Psalm.* 17. (b) *Matt.* 5. (c) *Matt.* 5. (d) *Matt.* 16. (e) *Actor* 9. (f) *Lib.* 6. *Æneidos.* (g) *Chrysost.*

Paulus. Et vos ſpectabiles puſillanimitati parcite AA. nam *quæ lingua laudibus invenietur æqualis? quis ad explicanda virtutum germina ſenſus?* melliflui verbis utar Bernardi: (*h*) *quæ poterit lingua etiamſi angelica dignis extollere laudibus? qui omnia illuſtria dixerit & glorioſa, nunquam is à veritatis ſcopo aberravit, attamen dignitatis magnitudinem nullâ unquam oratione exæquabit*, nempe omniũ encomiorum legem tranſcendunt. *Si omnes* (inquit Damasc.) *in orbe diſperſæ linguæ in unum coëant, laudes* eorum *conſequi non poſſint*, cùm ſint (*i*) *mons* ille *Domini in vertice montium*, omne humanum ingenium exuperans. Jam equidem ſilentium ſapientis perſvaderet eloquium, docens res maximas quiete eſſe tractandas, & vetus oratio ſilentio potiùs quàm ſermone honorẽ eis tribuendum, filum orationis præſcinderet, niſi metuendum foret illud (*k*) *ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Non licet præconia expli-

(h) *Baſil. Epiſc. Selev.* (i) *Iſaiæ 2.* (k) *Luc.* 19.

explicare, neque tamen idcirco reticere fas eſt; quin potiùs pauciſſima, ut vel exinde audientium animis, aut à minori ſit via argumentandi ad majus, aut certò colligant ex ungue leonem: eſt námque & hoc maximum encomij genus, cùm orationis copiam virtus exuperat, & laudati ingenium tranſcendit magnitudo ſicque vinci eſt glorioſius quàm ſæpe viciſſe. Metum deponere jubet (*l*) *conſolator optimus, ne timeas* (inquit) *à facie eorum, quia ego tecum ſum*: calcar poſt reliquos addit denuo, (*m*) *ego ero in ore tuo*. Salvios, Julianos, Philoſtratos, Platones, Apollonios, Marcos Imperatores, audiendi ſemper cupidiſſimos, omnes hîc præſentes eſſe imaginor. Nempe profundè inſculptum geritur ſapientis, (*n*) *audiens ſapiens ſapientior erit*. Diſcipulū itaque inter Doctores tantiſper audite, ut, cùm non unius ſint omnia, de veſtra quoq; patientia dici poſſit: *Diſcit Doctor à diſcipulo.*

(l) *Hier*. 1. (m) *Exod* 4. (n) *Prov*. 1.

Quàm verum ſit æternæ veritatis dictum, (o) *non enim vos eſtis qui loquimini,* clariſſimè deprehendere me videor, dum ſacras pro me loqui audio paginas, ex illíſque excellentiam Geminorũ Apoſtolorum in duobus luminaribus figuratam intelligo; (p) *fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, præeſſet nocti.* divos nempe PETRUM & PAULUM, illũ majus, iſtũ minus, (q) *omnia* nāmq; *in figura contingebant illis.* Magna profefectò hi luminaria, qui ſpectaculum ſacti ſunt omni creaturæ, (r) *mundo, Angelis & hominibus uſque in hanc horam.* Magna, qui poteſtatem nacti ſunt ſuper omnes languores, dæmonia, & omnem virtutem inimici. Magna ſunt, fatente Chryſoſtomo, (s) *Petrus templum Dei, Paulus os Dei, illi terram incolunt, atque in cœlis verſantur, ÿs commiſſum eſt, ut ea quæ in cœlis ſunt diſponerent, ÿs datum,* ut

(o) *Marci 16.* (p) *Gene. 1.* (q) *1. Cor. 16.* (r) *2. Cor. 4.* (s) *Chryſt. de laud. Petri Pauli.*

ut potestatem habeant, quam Deus Opt. Max. neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit. (t) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Ad vivum planè, omissis alijs, hanc Bigam expressit (u) Cassianus, *hi*, inquit, *sunt, si altitudinem cœli contempleris, altiores cœlo, pulchriores lunâ, discretiores Angelis, omnium donorum sublimitate sublimiores, solo creatore suo inferiores.* Plurimum & vos debetis illis, siquidem *per eos* (x) [Chrysostomo teste] *regenerati estis à terrena regeneratione, per ipsos vobis portæ cœlestes aperiuntur*, quibus assistere & obtemperare coguntur Angeli, (y) quibus datum est nôsse mysterium regni, (z) quibus omnia quæ audivit nota fecit Deus.(aa) Atque hæc in communi dicta sufficiunt, ad particularia descendendo, à capite Petro principium faciamus.

D 7 Hic

(t) *Ioan.* 20. (u) *Cass. in Cat. glor. mundi.* (x) *Chrys. hom.* 10. *Ep. ad Thes.* (y) *August. Conc. super Psalm.* 37. (z) *Matt.* 13. (aa) *Ioan.* 15.

Hic vir hic eſt (bb) *luminare majus*, quia electus ut Sol, hoc uno diſſimilis, quòd hic radios ſuos ſurſum mittat, alter deorſum. Nemo in controverſiam ipſi ſoli hoc proprium vocet, qui in hoc eſt natus *ut præeſſet diei*, *tabernaculo* videlicet *in Sole poſito*, *civitati ſuper montem*, *lucernæ accenſæ ſuper candelabrum*, *univerſæ in manifeſto* [dicere contendo viſibili] *poſitæ Eccleſiæ*. (*cc*) Luminare majus, imò omnium maximum eſt Petrus: enimverò cui unquam audire contigit alteri, (*dd*) *tibi dabo claves regni cœlorum*? *paſce oves meas*? ſolus Petrus ut omniū primus crederetur, primus ſuam ſupereminentē audivit dignitatē, (*ee*) Ab Angelis paulò minutū Regij Pſaltis dicit vaticiniū, pace tamen ipſius, auſim Petrū ſuper omnes Angelos exaltatum pronunciare, cùm nec cœli janitores, nec ovium Paſtores ſint illi, hujus verò Brabiū perſimile

(bb) *Gen*. 1. (cc) *Aug*. *Tra*: 2. *in Ep*. *Ioan*: (dd) *Matt*: 16. (ee) *Pſalm*: 8.

ſimile ipſi Deo : (*ff*) *habes Brabium ſicut Deus, & ſimili voce tonas, quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, in ipſo adimpletum vaticinium quod erat de Chriſto, (gg) *dabo claves David ſuper humeros ejus, aperiet & non erit qui claudat, claudet, & non erit qui aperiat.* De ſeſe hæc loquentem audire mihi videor, *nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi Deus*, cui *tradita ſunt omnia*, & *data poteſtas in cœlo & in terra.* (*hh*) *O mira* exclamat Aug. *poteſtas! ô veneranda dignitas!* (*ii*)*majus* te *Luminare* fatetur Bern. ſint námque licet & *alij cœli Ianitores, gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs quantò differentiùs, habent illi aſſignatos greges ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti ſunt uni.* (*kk*) *O lampas univerſæ Eccleſiæ! alba & caſta columba! acris & vehemens Apoſtolus!* (*ll*) Quod ſi ne ipſe Paulus in comparationem venire poſſit, an non luce

(ff) *Arnobius*: *Pſalm*: 33. (gg) *Iſa*. 22. (hh) *Matt*: 28. (ii) *Aug*. *Con*. *ſuper Pſal*. 37. (kk) *Ber*. *ad Ev*. (ll) *Chryſ*.

luce meridianâ clariùs evadit cæteris hunc esse majorem? *Quantumlibet Paulum caput gentium effectum esse, & totius Ecclesiæ principatum obtinuisse testatur, tamen licet ampius ejus fuerit Apostolatus, quem concepit ad gentes salvandas, tamen nihil est, quod æquari possit principi Apostolorum Petro*, quasi diceret: exaltatus es super omnes ô Petre. (*mm*) Neq; mirum, majorem eum esse in dignitate, qui majorem sese ternis est contestari ausus vicibus esse in dilectione. (*nn*) Dixit & fecit; nos tamen (oo) *videamus verbum hoc.* Primus claves regni accepit, (pp) *primus Petrus in Christi baptismo reservavit aditum cælestis regni, Petrus agit causam omnium, primus verbum Dei prædicat, qui primus omnium & Prophetarum testimoniis Spiritûs Sancti missione futura testimonia profert, docetq;.* Solem veritatis symbolum vocat Dionysius Areopagita, quia rerum omnium illustrans

(mm) *Gregor: l. 1. Reg. c. 4.* (nn) *Ioan. 21.* (oo) *Luc. 2.* (pp) *Ter: de Pudici:*

luſtrans faciem, ſignorum revelat veritatem. Revelat quoq; veritatem luminare majus ſeu Sol noſter Petrus, & potentiſſimis doctrinæ radijs illuſtrat omnes, unicâ qui prædicatione tria novit convertere millia(*qq*) iterúmq; eo loquente credunt quinq; virorum millia.(*rr*) *Sicut radijs Solis orientibus & tenebræ fugantur, & feræ quæ latitant foveisq; conduntur, & latrones recedunt, & homicidæ ad antra fugiunt, & amoventur piratæ, & ſepulchrorum violatores fugantur, & adulteri, & fures & perfoſſores domorum deprehenſi à Sole redarguti periclitantes abeunt ſeséque alicubi procul occultant, omnia lucida efficiuntur & clara, illuſtrantibus deſuper radijs, terrã, pelagusq; ac montes. ſimul atque regiones ſic prædicatione fulgente & ubique* in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, Bithynia, *Evangelium ſeminante* Petro *fugabatur error veritáſque remeabat, favillæ verò fumúſque templorum, & cymbala omnia, & tympana, & ebrietates, & comeſſationes, ſtupra, & adul-*

(qq) *Act*: 2. (rr) *Act*: 4.

adulteria, & alia dictu fœda defecerunt atque consumpta sunt instar ceræ vapore ignis. (ss) Hæc Chrysostomus. Habet omnis virtus suum oppositū hostē. His inter quod erexerat Petrus, dissipare tentabat Magus, ille illuminabat, hic excæcabat, ille veritatis viam docebat, hic erroris semina spargebat, ille convertebat, hic pervertebat, ille à perditionis barathro eripiebat, hic in profundā stygem detrudebat. Statuas quæ non erant, faciebat ambulare impostor impius, in igne volutabatur, & non exurebatur, lapides in panes convertebat, sese in varias bestias transformabat, plures facies assumebat, in aurum mutabatur, virtutem, quæ Angelis dominaretur, falsò jactitabat, omnes in sui admirationem invitabat, Christúmque mentiens ad Patrem volatum simulabat; sed ad Solis nostri radios liquefactæ sunt inanes Icari pennulæ, quando prior ascendit oratio Petri, quàm volatus Magi, prius venit justa petitio, quàm iniqua præsumptio, vicit precatio levitatem, vinctum de sub-

(ss) *Chrys. ad pop. antio.*

limi

limi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxa illidens ejus crura confregit in opprobrium impij, qui paulò antè volare tentârat, subitò ambulare non posset, & qui pennas assumpserat, quibus sublimiùs ascenderat, altiùs caderet, meritâ cum Icaro, uti præsumptionis, ita etiam ruinæ commutatione. Claritatem verò luminaris nostri quis desiderat, cùm ipsa etiam illius umbra illustrârit.

(tt) *Petre beate gradus tecum medicina salutis*
Ambulat, adde viam; pes is est ad gaudia velox.
In pedibus non esse moram, tua semita vita est,
Si properas, jam nemo jacet, tu motibus umbræ
Corpora cuncta levas, atque hæc simul inscia voti,
Sumit verba, jacens, quod cùm rogat, accipit unus.

Non poterant hanc, *luminaris nostri* claritatem sufferre diutius caligantes no-

ctua-

(tt) *Arator Diaconus.*

ctuarum oculi, non potuit cum bubonibus suis infernalis Orci tenebris præsenti invidiâ tolerare amplius gloriam, nec videre veritatis præceptorem. (*uu*) Conspirant singuli, arbitrantes se obsequium præstare Deo, vinctum in tetrum mittunt carcerem, ac ut primùm è medio tollere festinant; quassatur in Petra sua Ecclesia, sed interitum nemo metuat, ubi est indefectibilitas, etiam in tenebris Solis fulgor emicat, & inter nubes suam servat serenitatem, ideóque (*xx*) *nec portæ inferi prævalebunt adversus eam. nullæ hæreticorum insensiones, tyrannorum persecutiones, schismata, vitia, nec ulli assultus nocebunt ei* (*yy*) cum qua est Deus usq; ad consummationem sæculi. En rursus perfractis nubibus carceris in aspectum eluctatur Sol noster, adest Angelus, cadunt catenæ, solvuntur compedes, reserantur portæ, liber fit exitus. Stupes? at:

Ferrea

(uu) *Joan.* 16. (xx) *Mar.* 16. (yy) *Aug.*

(zz) *Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro,*
Quem Deus atherea custodem deputat aula,
Ecclesiaq; sua faciens retinere cacumẽ,
Infernum superare jubet:

Neque plura de hoc luminari majore: (a) *testimonia credibilia facta sunt nimis.* Quòd si tamen ejus magnitudinis potentiæ tenetur desiderio quispiam, hunc ad catenas, quæ solo attactu sanant ægros, ejiciunt dæmones, innumera alia patrant miracula, relego: aut certè ad pagum Parissacum (b) Villam Gesedim vadat cupidus, ibíque solius barbæ reliquijs unico anno 922. supra centum septuaginta notata reperiet miracula. O felicem Ecclesiam, quæ tale ac tantum habere meruit fundamentum! Quod adhuc inter vivos degens, jam ipsi Angeli visi sunt coronare. nam *bene* (exemplo Magistri) *omnia fecit* (c) verbo comple-

(zz) *Arator in actus Apost: lib. 1.* (a) *Psalm. 29.* (b) *Ex Erodoardo Baronius, Marulus A[illegible]* 69. (c) *Marc. 7.*

plectar cuncta: *Petrum verissimum esse fontem, cæteros rivulos: arborem, cæteros ramos; Solem, cæteros radios*, juxta Conciliũ Ephesinum certum habete. Sinite me nunc ad Paulum transilire, qui instar alati universum non modò persilijt orbẽ, sed ipsum etiam [stupete, obsecro, agilitatem] unico quasi saltu tertium vivens attigit cœlum. At, inquiet, fortasse unusquispiam; de blasphemo, crudeli persecutore, Ecclesiæ vastatore, quid dicturus es? non mihi de Saulo, sed de Paulo, non de lupo, sed de agno, non persecutore, sed prædicatore, hic sermo. (d) Divi referã verba Ambrosij: *Fluvia cœlestis lavacri super eum influxit, necatur blasphemus, necatur Saulus, vivificatur Apostolus; Paulus sæviens quærit minuere Ecclesiam, etiam ille accessit ad numerum Confessorum; dum alijs inferret necem, ipse pro illis suscepit mortem. Ananias baptizavit Saulum, & fecit Paulum, baptizavit lupum & fecit agnum, cœpimus* habe-

(d) *Ambrosius Serm. 31. de adit. Rom.*

habere prædicatorem quem habuimus persecutorem. *Paulus adeò perdidit veterem hominem ut cum moribus mutaret & nomen*, atque si Augustino credere velimus, in tantum mutatus est, *ut ex superbo fieret parvus* (e) *Luminare* ecce *minus*, quoniam *pulcher ut Luna*, & datus in dominium noctis, seu ut *præesset nocti*, gentibus duntaxat, quæ erant in pœnis tenebrarum, juxta illud Actorum 13. *posui te in lumen gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ, tenebræ enim erant super faciem abyssi.* (f) Egregium præsidem, cujus unicum studium, una cura, unus conatus in peccatorum spinas evellendo, verbum Dei seminando, pietatis errores fugando, veritatem reducendo, ex hominibus Angelos formando, quin imò ipsos homines quasi ex dæmonibus in Angelos provehendo, (g) *crevit Paulus & factus est magnus.* quoniam nihil ita desiderabat, quàm omnem prorsus hominem Deo exhibere, & quasi

(e) *Aug. Tract. 12. in Psalm.* (f) *Gen. 1.* (g) *Aug.*

quaſi cunctum genuiſſet mundum, ſic perturbabatur, ſic currebat, ſic omnes in regnum Dei introducere feſtinabat, ille labentes erigere, ſtantes confirmare, humi jacentes attollere, ſanare contractos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis inſonare, hoſtes minaciter intueri conabatur, (h) *omnibus omnia factus, ut omnes Chriſto ſalvaret*. Reddebant illi malum pro bono, pro eo ut diligerent detrahebant; verùm ille quaſi ſensûs expers, infracto ſalutem alienam promovebat animo, de ſeipſo faſſus fortiter, (i) *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, à Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepi, ter virgis cæſus, ſemel lapidatus: Tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur*, videlicet, etiam in gehennam incidere, quàm Iſraëlitas non videre credentes. Contraria contrarijs opponere optimè gnarus, unum illud jactabat inter opprobria

(h) 1. Cor. 9. (i) 2. Cor. 11.

 108

bria, (k) *maledicimur & benedicimus, blasphemamur & obsecramus*; proprijs etiam lachrymis extinguere laborans paratum malis ignem; (l) *scripsi vobis per multas lacrymas*, ut meritò proinde scripserit Divus Chrysostomus, *nullus tanto affectu mala propria, quantum ille deflebat aliena.* Quid de illius in persecutores beneficentia dicam? cruorē suum sitientes, lacte proprio potabat: (m) *tanquam parvulis in Christo lac vobis potandum dedi.* Nutrix factus esurientium & sitientium, *facti*, inquit, (n) *sumus parvulis in medio vestrum tanquā nutrix foveat filios suos, ita desiderantes cupidi volebamus vobis tradere animas nostras.* Hîc terra promissionis, *dabo vobis terram fluentem lac & mel.* Rigavit videlicet *Luminare minus* his novis undis, *nova Luna*, irrigavit terram, quæ antea erat *inanis & vacua*, útque primùm lacteas immisit undas, (o) *protulit terrā herbam virentem* in universo orbe, atque adeò

E copio-

(k) 1. *Cor.* 4. (l) 2. *Cor.* 12. (m) 1. *Cor.* 3. (n) 1. *ad The.* 1. 2. (o) *Gen.* 1.

copiosam, ut vix dum triginta annorum spatio, brevissimo temporis intervallo, & Romam, & Persas, & Parthos, & Medos & Indos, & Scythas & Æthyopes, (p) & Sauromatas, & omne prorsus humanum genus sub jugum miserit veritatis, & novum extruxerit voluptatis paradisum. Ad hos námque currebat, ad illos volabat, huc transiliebat, illuc vento celerius ferebatur; totum mundum velut domum unam, aut navigium unicus regebat, omnia inundabat, nemo poterat ei resistére, inclusus fundamenta concutiebat, ostia pandebat, custodem tremefaciebat, ac tremefactum tandem ad fidem transtulit, alligatus erat, sed verbum Dei in ipso alligari non poterat. (q) Ignis omnia, consumens meritò appellandus esset, qui medias inter inimicorum insidias semper referebat victorias, palmares instituebat triumphos, crebra struebat trophæa, *gratias autem Deo qui semper triumphat*

nos

(p) *Act.* 18. (q) 2. *ad Tim.* 2.

nos; &(r) quantò illi magis ignem opprimere hunc ſtudebant, tantò magis eundem augebant, ipſiſmet fatentibus adverſarijs; *quid faciemus hominibus iſtis? per quæ eos opprimere volumus, per ea ipſa provehimus.* (s) Vinctus erat Romæ, & plures attraxit, vinctus Jeroſolimis Regem obſtupefecit, Præſidem metu proſtravit, vinctus navigavit & naufragium prohibuit, vinctum illum venenatum animal illæſũ deſeruit, (t) certè major hæc vinculorũ potentia, quàm mortuorum reſurrectio. Super uno peccatore pœnitentiam agente gaudium eſt in cœlo magnum, quale ac quantum hic attulerit curiæ cœleſti, vobis decidendum relinquo, qui quantumvis loco circumſcriberetur, Deo tamen mundum pene integrum circumſcripſit. Philoſopho teſte, Luna *maleficiorum* eſt *inimica*, Epicteto authore *oculus noctis*, iterum Philoſopho perhibente, *ſolamẽ iter agentium*; Bene habet: maleficiorum inimicum videndo Paulum & Lunam, vidiſtis

(r) 2. *Cor.* 2. (s) *Act.* 4. & 16. (t) *Act.* 26.

oculum, inquam, per quem omnis videtur felicitas & ſolamen, quo æternùm aliàs perituri fruuntur, eundem cognoſcendo, omnes dubio procul intuliſtis, Paulum eſſe *luminare minus* ac ſimul luminare magnum, cujus videndi deſiderio maximè flagrabat Auguſtinus, purpuratusque Dalmata Hieronymus in Epiſt: ad Philipp. Etymologiam nominis inveſtigando ex Hebræo *Paulus* mirabilem ſignificari deprehendit; & ſanè quàm bene hactenus vidimus.

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

Non quidem operæ pretium eſſe reor, hîc jam velle oſtendere magnitudinem charitatis, in charitatem divinam, ex proximi namque tam admirabili charitate, quâ in Deum arſerit, meliùs longè concepiſtis, quàm calamo aut linguâ valeam exprimere, quia tamen ipſemet utpote optimus Apelles, eundẽ nobis depinxit, picturam ob oculos parum proponamus: in tantum videlicet eam excreviſſe, comperio, ut etiam mortuum ſibíque ereptum ſe præ illius vehementia fateatur;

tur : (u) *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quid proinde mirũ, quòd audacter inclamet heroicum illud hostibus insultaturus Amoris classicum : (x) *quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius? an mors? neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Hujus amoris gratia magìs properabat ad confusiones, injurias, contumelias, quàm alij bonorum oblectamenta; magìs quærebat laborem, quàm alij requiem; tyrannos furorem spirantes, velut amicos, mortem & cruciatus, & mille supplicia, ludum quasi puerorum existimabat; dummodo propter Christum aliquid sustineret. Amplectebatur lubens pericula, imò verò catenis vinctus decorabatur magìs quàm diademate coronatus, carcere coarctatus habita-

(u) *Ad Gal.* 2. (x) *Rom.* 8.

bitabat cœlum; lætiùs verbera excipiebat & vulnera, quàm alij bravia suscipiunt; dolores non minùs quàm præmia diligebat, illi totius mundi bellum pace jucundius, omnia demum quæcunque propter Christum vulnerabant, delectabant. Arestim non immeritò appello de quo Poëta:

Ferreus hic color est naturæ mira
potestas,
Nam semel accensus susceptos detinet
ignes,
Extinguique nequit.

Auream animam hanc, an adamantinam vocem? nescio; Adamante namque fortior, auro, gemmisq; pretiosior, utriusque virtute suâ supergressus robur vincit & pretium: Supra humana evectum, quis eum non videat, & ipso mundo, sunt, atque ipso etiam cœlo sublimiorem quis non deprehendat? qui omnia charitati divinæ postponebat, ab ipsa meritò omnibus est præpositus, quandoquidem quemadmodum Philosopho teste,

Luna

Luna est Solis æmula, ita veri justitiæSolis in miraculis æmulus Paulus, claudos sanat malignos spiritus fugat, infirmos curat, mortuos suscitat, ut meritò proinde aureum eloquentiæ flumen D. Chrysostomus dixisse videatur de laudibus D. Pauli: *omnia quæ sunt in hominibus bona una anima possidet cuncta, plenè atque cumulatè, quæ non solùm sunt hominum, sed quod amplius est, Angelorum*. (y)

Major sanè est Paulus Abele, qui non modò seipsum per singulos dies Deo immolabat, verùm & universum insuper mundum in holocaustum offerebat; major hic Noë, qui non modò paucas à diluvio salvavit animas, sed totum pene orbem medijs de fluctibus liberavit; Perfectior Abrahamo, qui non tantummodò patriam, amicos, cognatósque, sed etiam seipsum, totum terrarum orbem, imò cœlum, & cœlum cœli, & hæc omnia Christum suscipiendo despexit; Davide fortior, qui non solùm Golia-

(y) *Chryst: de laud. Pauli.*

liathum, ſed univerſam diaboli catervam confregit; alter Jonas, die ac nocte per maris undas jactatus, nec tamen abſorptus, ſed à fluctibus, ſacri inſtar depoſiti reſervatus; alter Iſaac, ſpontè in hoſtiam colligatus; alter Jacob, totius vitæ curſu pro Sponſa ſua non aduſtus eſt æſtu Solis, noctis gelu, aliáſque mille tentationes ſuſtinens; alter Joſeph, ſpirituali fame tabeſcente mundo, vexatis alimenta diſtribuens; Moyſes alter, qui omnes à tyrannide reduxit in terram promiſſionis; Aaron alter, totius mundi inventus Sacerdos: Phinees alter, impietatem Judæorum atque gentilium quaſi fornicationem mentium uno fidei mucrone confodiens; Helias alter in cœlum raptus; Heliſeus alter, gentes ab interiore lepræ pollutione mundans; Ezechias alter, qui ad unam Chriſti fidem populos attraxit; Iſaias alter, qui abominationes gentium diſſipavit; Gabriel alter, qui dux eſſe meruit Chriſtianorum; Paulus denique [ut verbo dicam]

cam] (z) *omnia factus*. Euge ſerve bone & fidelis, bonum certamen certâſti, curſum conſummâſti, fidem ſervâſti, de reliquo repoſita eſt tibi corona juſtitiæ.

Sed ſatis ſit: coronidem apponendam monent laudum ſuarum & moræ impatientes gemini Apoſtoli, unâ voce clamantes: *Cupio diſſolvi*; verùm tamen teneamus eos, nec dimittamus, donec benedixerint nobis; Jam verò benedictione impertitâ, in *domum Domini* abire volentes, ſinamus, & Petro in cruce gloriam, in enſe Paulo faveamus victoriam: (*) *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Saul & Jonathas amabiles & decori in vita, in morte quoque non ſunt diviſi.*

Spectâſtis ergo AA. [ut opinor] *duo luminaria magna,*

(†) *Cœlorum portas, lati duo lumina mundi.*

Si tamen duos illos Cherubinos aureos ſuper

(z) 1. *Corin.* 9. 2. *ad Thi.* 4. *Ad Phi.* 1.
(*) *Pſal.* 132. 2. *Reg:* 1. (†) *Venant. fort. l.* 3. *Carm.*

ſuper propitiatorium (*) collocatos, aut duos juxta thronum eburneum Salomonis ſtantes leones, duos generoſos ac validos equites, qui terram Babilonis everterunt, duas firmiſſimas Eccleſiæ columnas, duas tubas, quarum in omnẽ terram exivit ſonus, duos pedes Apocalypticos ſuper mare & terram poſitos, duo in medio paradiſi manantia flumina, quæ terram irrigârint, aut certè duas Olivas cœleſti lampadi cœleſte ſubministrantes oleum, vos dicere malitis; (†) Agite, cùm hæc quæſtio ſit de voce, per me licet, ego abeuntibus à nobis Apoſtolis, quoque abeo, *vos imitatores mei eſtote*, ſi perplacet abite,

DIXI.

A. M. D. G.

(*) *Exod.* 2. 3. *Reg.* 10. *Iſai.* 1. *Num.* 10. *Apocal.* 10. (†) *Zach.* 4. 1. *Cor.* 4.

